



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino
Lugduni, M. DC. LXXX.**

Tractatus IV. De Correctione fraterna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Et an sit contra votum paupertatis accipere pecunias
 Secularium in depositum? Ex part. 4. tractat. 4.
 & Misc. Resolut. 23.

Sup. hoc in §. 1. Superior illius Religionis talem Ecclesiastica
 Rel. præteri-
 ta §. 1. affec-
 mediū vers.
 Præterea, &
 inter mediū
 & finem, à
 nachum viuentem cum peculio, nisi quando prius
 vers. Ad id
 & in tom. 8.
 tr. 1. ex Ref.
 214. lege §.
 1. ad mediū
 & in tom. 8.
 tr. 5. ex Ref.
 50 §. vi. ad
 mediū, vers.
 & ideo sal-
 uo, & ibi in
 tr. 8. vide do-
 ctrinam Ref.
 4.

§. 1. Sepultura priuandum esse sustinebat, addu-
 cens cap. super quodam, de statu Monachorum. Ego
 verò eum à tali sententia conatus sum remouere, vt
 feci, quia iura non priuant officio Altaris talem Mo-
 nachum viuentem cum peculio, nisi quando prius
 monitus noluit dimittere, ergo sic mortuum non
 priuabunt sepultura Ecclesiastica. Adde quòd talis
 mortuus poterat se purgare, quòd scilicet denarij essent
 sui amici, consanguinei, vel sibi depositi, vel con-
 crediti, vt alteri deferret loco elemosynæ, vel re-
 stitutionis, & ita docet ex Emanuele Rodriguez,
 Laurentius Portel in dubijs Regular. versic. sepul-
 tura, numer. 11. qui hoc limitat, dummodo talis
 Religiosus non sit Minorita; ob strictiorem regu-
 læ prohibitionem erga pecuniam recipiendam, ni-
 si circumstantiæ probabiles occurrerent in con-
 trarium: hanc sententiam docet etiam Hieronymus
 Rodriguez in compend. 99 Regul. resolut. 128. nu-
 mer. 20. Et, vt ex contraria sententia supradictum
 Superiorem amouerem, adduxi Villalobos in sum.
 tom. 2. tractat. 31. difficult. 3. numer. 6. vbi sic ait:
 Al monje que fue hallado propietario tambien
 se niega la sepultura como dize el derecho, mas
 ha se de aduertir que no luego, que el Religioso
 fuere hallado con vna bolsa de dineros en la celda
 sin licentia de su Prelado se le dene negar la sepul-
 tura Ecclesiastica, porque el cap. super quodam ha-
 bla del que sendo amonestado del Prior no qui-
 so resignar el proprio que tenia contra la regla;
 y si a el lo oyeran pudiera dar escusa de que lo tenia en
 deposito de algun seglar ò cosa semejante, ò quiza ten-
 dria licentia del Superior de palabra, y puede auer
 sela dado, y olvidarle, y puede ser, que fuese el di-

nero, que se le dieron para restituyr como acor-
 se algunas vezes. T al fin ha de constar muy claro
 que sea propietario, y mas que sendo secreto no
 puede el Prelado por esso condenarle, y pocas vezes
 succedera en pratica ser este caso publico, y pocas ve-
 zes sabe si el Prelado le dio licentia secreta sin es-
 que el imprudentemente lo diga.] Ita ille, cuius
 vltima verba cum audisset supradictus Superior, qui
 mecum hunc casum consulchat, obmucuit, & factus
 factus discessit.

2. * Notandum est hic obiter ex illis verbis Villa-
 lobos, [pudiera dar escusa de que lo tenia en depo-
 sito de algun seglar,] sequi Religiosum si ipse in
 detineat penes se pecunias alicuius secularis in
 depositum, non peccare contra votum paupertatis,
 licet contrarium sentiat nouissimè doctus Nazari-
 us ex almo Ordine Prædicatorum opus. de statu
 & obligat. Religios. dub. 8. de voto paupertatis, et
 conclus. 20. Sed opinio negatiua est satis probabi-
 lis, quam ego docui in 1. part. tract. de pauperi-
 religiofa, resol. 43. cum Sanchez & Fausto, quibus
 nunc addo Suarez de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 1. nu-
 mer. 45. vbi sic ait. Si Religiosus acciperet ab alio
 pecuniam tantum in custodiam, vt eam reddat, quo-
 ties dominus voluerit, per se non esset contra pau-
 pertatem, licet possit esse contra obedientiam, &
 contra decentiam religiosam si occultè fiat. Ita ille,
 & ego.

3. Ex dictis infero non bene dictum Nazari-
 um loco citato dixisse, quòd si Religiosus acciperet
 magnam pecuniam summam in depositum, &
 repentina morte migraret è vita, nullo relicto scri-
 pturæ testimonio, iudicandus esset verè proprie-
 tarius, pœnæ proprietatis debita subiciendus, pri-
 uationi scilicet Ecclesiasticæ sepulturæ, non inquam,
 in hoc bene dixit Nazarius, ex rationibus adductis
 à Portel & Villalobos vbi supra, quia ex multis ca-
 pitibus potest talis Religiosus in hoc casu excusari à
 vitio proprietatis.

In indice primo huius tom. 7. vide Appendicem ad hunc Tract. 3. vbi reperies alias paucas quasi-
 mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Ref. que simul pertinent ad hunc Tract. 3.
 de Paupertate Religiofa.

TRACTATUS QUARTVS, DE CORRECTIONE FRATERNA

RESOLVTIO PRIMA.

Quotplex sit Correctio? Ex part. 7. tractat. 3. Re-
 sol. 1.

§. 1. **R**ESPONDEO quòd correctio du-
 plex est, altera iudicialis, & altera
 fraterna. Iudicialis est, quæ pro-
 uenit à potestate publica in ordi-
 ne ad bonum commune, vt do-
 cet D. Thomas 2. 2. quæst. 3. ar-
 ticul. 1. quia in illa per se & primariò spectatur bonù,
 non ipsius de inquentis, sed aliorum, qui per peccatù
 vnius læduntur, & scādalizantur. Estque propriè actus

iustitiæ vindicatiuæ. Correctio verò fraterna potest
 fieri à priuata auctoritate, & ordinatur ad bonum
 eius, qui corripitur; & propiè, & per se respicit
 bonum ipsius delinquentis, cuius spirituali neces-
 sitati per hanc correctionem subuenitur. Et de hac
 priuata correctione præcipuè agimus in præsentibus.
 Quam esse virtutis actum nullus Catholicorum dis-
 bitat, testante Scriptura, Proverb. 27. Melior est
 manifesta correctio, quam amor absconditus. Et Ec-
 clesiastici 29. Melius est à sapiente corripi, quam
 stultorum adulatione decipi. Vnde de Deo ipso legi-
 mus, Proverb. 3. Quem enim diligit Dominus, corri-
 pit, & quasi Pater in filio complacet sibi. Et ratio est
 manifesta, quia correctio per se ordinatur ad bonum
 honestum, & rectæ rationi conforme; minimum
 bonum proximi, scilicet ad subleuandam miseriam
 eius

eius spirituales; nulla enim maior miseria excogitari potest, quam peccatum, quod eum priuat spirituali, & aeterna beatitudine, & reddit eum Dei inimicum, & reum aeterni supplicij. Quare si erogare stipem indigenti est actus honestus, & virtutis, quo pellitur famas corporalis, potiori iure erit correctio fraternalis, qua peccatum expellitur ab anima. Vnde recte Aristot. 9. Ethicor. cap. 9. inquit, Pravam amicum corrigendum esse, ac magis iuuandum in moribus, quam in pecuniis, dissoluendamque amicitiam, si negligat correctionem.

RESOL. II.

Ad quam virtutem spectet Correctio Fraternalis? Ex p. 7. r. 3. Res. 2.

§. 1. **L**atè de hac materia agit Franciscus del Castillo in 3. sent. tom. 2. dub. 6. q. 1. Hurtadus de Mendoza de fide vol. 2. disp. 162. sect. 3. per totam, Coninch de Charitate disp. 28. dub. 2. num. 12. & seq. Caspensis in Cursu Theolog. tom. 2. tract. 17. disp. 6. sect. 1. num. 2. vbi sic ait. Dubitant recentiores ad quam virtutem spectet actus correctionis? Nonnulli volunt non pertinere ad specialem virtutem, sed ad diuersas, pro vt peccatum corrigendum diuersis virtutibus repugnat, quia qualibet virtus nos inclinat non solum in nobis eius honestatem conservare, & contraria fugere, sed etiam in aliis. Hoc tamen nullam probabilitatem habet, inde enim sequeretur, eum qui cum facile possit non corrumpi furem, peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem, & qui luxuriantem non impedit, peccare contra honestatem, quod est absurdum. Agidius disp. 28. dub. 2. censet, obligationem corrigendi proximum oriri proprie ex charitate Dei, & proximi, quia sicut charitas Dei & proximi nos obligat vt data occasione virtutis bonum procuremus; ita nos obligat vt impediamus ea quae ipsi grauitur aduersantur: at peccatum mortale tam Deo, quam proximo grauitur aduersatur; ergo charitas nos obligat vt illud impediamus, quod fit per correctionem fraternalem. Nihilominus dicendum est correctionem esse actum misericordiae, & charitatis, iuxta motiua à quo oritur: si enim ex amore Dei & desiderio, quo quis vult Deum non ostendi, corripiat proximum, tunc correctio imperatiue procedit à charitate; si verò ex voluntate subleuandi illum à miseria; tunc operatur actum misericordiae. Et ex his colligitur quid proprie sit correctio fraternalis. Est enim actus, seu opus, quo quis subuenit necessitati spirituali proximi; nitens eum à peccati malo liberare, per conuenientem aliquem & idoneum ad id sermonem. Hucque Caspensis,

2. Sed quid sit de hac quaestione pro Praxi est omnino certum, & indubitatum ad satisfactionem huius praeccepti non requiri necessarid correctionem fieri ex hoc, vel illo motiuo charitatis, vel misericordiae. Nam etiam si ex malo motiuo id facias, satisficere potes praeccepto correctionis, sicuti satisficeres ieiunij praeccepto, vel Missae audiendae, vel elemosynae erogandae, etiam si ex prauo fine ieiunares; Missam audires, vel elemosynam tribueres. E ratio omnium est, quia haec praeccepta non sunt de actibus virtutis residentibus in voluntate, sed de actibus extremis misericordiae, temperantiae, vel religionis, qui integri esse possunt, etiam si à voluntate deprauentur. Et ita docet Palaus tom. 1. r. 6. disp. 3. punct. 1. num. 8. & Franc. del Castillo in 3. sentent. tom. 2. disp. 6. de Correct. quaest. 2. num. 8.

Tom. VII.

RESOL. III.

An detur praecceptum de Correctione Fraternali? Ex p. 7. r. 3. Res. 3.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue, & vt hoc clarius fiat suppono. Primò, correctionem fraternalem esse vnum ex septem operibus misericordiae spiritualis, quae hoc versu continentur.

Consule, castiga, solare, remitte, ser, ora.

Suppono secundò ex S. Thoma 2. 2. quaest. 33. art. 1. correctionem delinquentis esse quoddam remedium, quod debet adhiberi contra peccatum alicuius; peccatum autem dupliciter considerari; Primò, in quantum nocet ei qui peccat. Secundò, in quantum vergit in nocumentum aliorum, adeoque duplicem esse correctionem, aliam qua remedium adhibetur peccato priori modo spectato, quae dicitur correctio fraternalis; estque actus charitatis, cuius est procurare bonum, & auertere malum proximi. Aliam, quae adhibet remedium peccato delinquentis posteriori modo spectato, qua ratione est actus iustitiae vnius ad alterum. Quia tamen supra distinximus misericordiam à charitate, dicendum est correctionem fraternalem esse à misericordia elicitiue, & à charitate imperatiue, vt etiam indicat S. Doctor responsione ad 2.

2. His positis, quòd fraternalis correctio aliquando sit in praeccepto, tradit S. Thomas art. 2. & patet tum ex verbis illis Eccl. 19. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte, non dixerit, & si dixerit, ne forte iteret. Quibus ex nouo Testamento addi potest illud Matth. 18. Si peccaueris in te (id est, te sciente, vt interpretis communiter explicant) frater tuus, corripe illum, &c. tum quia cum ex praeccepto charitatis, aut misericordiae tenemur subleuare miseriam corporalem proximi, à fortiori tenemur miseriam illius spirituales tollere, vel impedire; at peccatum est summa miseria spiritualis, & correctio est interdum necessaria ad illud impediendum, quare tunc correctio ex graui praeccepto tam naturali, quam diuino adhiberi debet. Et ita docent communiter Doctores, & nouissimè Franciscus de Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correctione fraternali, quaest. 2. vbi contra Hurtadum probat praecceptum correctionis esse spirituale, quod etiam docet Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 86. dub. 1.

RESOL. IV.

An hoc praecceptum obliget sub mortali? Et notatur, quod quamuis omissio Correctionis de mortalibus ex genere mortalis sit, potest fieri venialis ex imperfessione actus, & posse aliquando omitti. Ex part. septima, tract. 103. Resol. 4.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue, per se loquendo, nam praecceptum elemosynae obligat sub mortali, quatenus proximus est in extrema, vel graui necessitate. Ergo similiter sub mortali tenemur ei per correctionem subuenire, si est in graui necessitate spirituali. Et ita docet Coninch disp. 28. dub. 2. num. 14. Franciscus del Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correctione, q. 5. n. 2. Trullench in Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 5. dubio 1. r. 2. & Valentia tom. 3. disp. 3. quaest. 10. punct. 2. vbi doctè probat adesse praecceptum de corrigendo proximum qualitercumque peccantem, Ar 2. siue

siue contra nos, siue contra solum Deum.

2. Nec obitat dicere quando malum proximi est ipsi voluntarium, quodque facile per se possit auertere, si velit, non teneor ei succurrere, ut patet in eo qui paupertatem sponte patitur, nuditatem, ac miseriae eas sequentes, quem non teneor his eripere, quia non censetur esse in necessitate: atqui omne peccatum saltem formale est peccanti voluntarium, & hic potest illud vitare, si velit, ergo non teneor ipsum ab eo eripere.

3. Respondeo, etsi quis peccet omnino sciens, & ex pura malitia, adhuc peccatum esse ex aliqua parte inuoluntarium, quatenus scilicet priuat peccantem gratia Dei, & aeterna beatitudine, aut causet ei aeternum supplicium; quae peccans odit, & cuperet effugere. Nec refert quod haec voluntarie sibi accertat, atque aded videatur ea paruifacere, cum facile ea vitare possit; hoc enim fit, quia non satis apprehendit quantum malum peccatum contineat, quod, si proxi decet, apprehenderet, omnino non peccaret.

4. Adde, neminem ita peccare ex malitia, quin aliqua tentatione, & ad bonum delectabile inclinatione, quam non ita facile potest superare, ad id incitetur: atque ita ipsum peccatum tum ex hac parte, tum quatenus etiam dicta mala affert, est ei semper aliqua ratione inuoluntarium. Hoc tamen fatendum est, nos rarius obligari taliter peccantes corripere, quia raro est spes emendationis: quando tamen haec adest, ad illud tenemur.

5. Nota tamen quod quamuis ommissio correptionis de mortaliibus ex genere mortalis sit, potest fieri venialis ex imperfectione actus: tunc scilicet, quando quis in preparatione animi desiderat salutem proximi, & paratus est subsidium conferre, quando viderit esse necessarium: sed ex quadam tepiditate, & inaduertentia retardatur a correptione, aut non satis prospicit articulum necessitatis. Ex quo constat quod S. Thomas dicit, *art. 2. ad 3. correptionem posse omit- ti aliquando meritorie, aliquando cum peccato mortali, aliquando cum solo veniali. Et ita docet Lorca in 2. 2. disp. 45. n. 3.*

Sup. hoc ad litteram infra in Ref. 7. §. Lorca. Sed lege eam per tota & alias eius primae nor.

RESOL. V.

Quando obliget hoc praecipuum? Ex part. 7. tract. 3. Ref. 5.

Pro his & aliis circumstantiis in duabus Ref. seqq.

§. 1. Difficultas est, quando teneamur proximum corripere: cum enim hoc praecipuum sit affirmatiuum, constat illud non obligare pro semper, sed tantum positis quibusdam circumstantiis, ut intelligitur ex *art. cit.* Respondeo itaque correptionem fraternam obligare, quando sequentes condiciones occurrunt: Prima, quando vides proximum actu peccare, aut moraliter scis eum peccasse, & adhuc versare in periculo relabendi. Secunda, quando probabiliter speras correptionem profuturam, & proximum ex ea emendandum. Tertia, quando ad emendationem proximi necesse est, ut illum corripas; quod contingit, quando verisimiliter iudicas fore, ut ille neque ex seipso, seu sine auxilio monitoris a peccato caueat, neque ab alio corripiatur. Quarta, quando correptio illa sine graui tuo incommodo fieri potest. Et ita docet Becanus in *part. 2. cap. 11. numer. 26.* Petrus à S. Ioseph in *Idea Theol. mor. lib. 3. capit. 10. resolut. 6.* Valentia *com. 3. disput. 3. quaestio. 10. punct. 2.* Castus Palauus *tom. 1. tractat. 6. disputat. 3. punct. 1. numer. 5.* Trullench in *Decal. tom. 1. lib. 1. capit. 5.*

dub. 13. n. 3. Sed de istis conditionibus inferius singillatim agendum est.

RESOL. VI.

Quando omisso correptionis fraternae sit peccatum mortale?

Et explanantur circumstantiae requisitae, ut praecipuum correptionis obliget sub mortali.

Et docetur, quando sit mortale audire, & non con- tradicere detrahenti, licet detractione ipsa non detrahetur, qui audit. Ex part. 4. tract. 4. & Miss. Ref. 228.

§. 1. Scio plures viros timoratos maximis scripturis si se subiicere, putantes sapius peccare in ommissione correptionis fraternae; & tamen non est ita, ut patebit ex sequenti doctrina Iacobi Gramaldi, insignis Theologi Societatis IESV, in 2. 2. D. Tertia contra. 3. tract. 12. disput. 1. vnum. 6. 7. & ubi sic ait: Dicendum ergo est, ut praecipuum transgressio sit culpa mortalis, requirit in primis certitudinem moralem, quod proximus sit in statu culpa mortalis, aut certe venialis, quae speciale periculum inducit grauiter offendendi Deum, id est, quia propter periculum proximum sit culpa mortalis, alioquin non esset obligatio grauis illum corripiendi, nisi forte in Praetato, aut illo, cui specialiter incumbit prospicere bono alicuius communitatis, quod valde laedatur non corrigendo, quia cum ipse non teneatur sub mortali evitare casus veniales; nos tamen sub mortali eum corrigere, ut illi euitet. Deinde quod indigeat correptione; nam si ipse delinquens est timoratae conscientiae, ita ut credatur aduertisse suum lapsum, & velle ex animo resurgere, aut certe ab alio corripiendus potest, non est obligatio corrigendi, quia haec est elemosyna, quam nemo tenetur dare, nisi indigenti. Tertio quod speretur probabiliter fructus, si enim non creditur emendandus, cessat obligatio; imò quando esset aliqua spes emendationis, sed valde modica, non esset peccatum mortale omittere correptionem; qui vero dubitaret, an correptio profutura esset delinquenti, si certus esset saltem non obfuturam, teneretur eam adhibere, non autem si simul dubitaret, an esset necessarium allatura. Ita Valentia *punct. 2. & Aragon artic. 2. cum Dominico Soto; Bñez, dub. vltim.* qui recte aduertit in extrema necessitate proximi, etiam si dubitem de nocimento, teneri nihilominus corrigere. Quarto, quod damnum inde proveniens corripienti non sit notabile, alioquin non erit obligatio nisi in necessitate extrema, aut quasi extrema damnationis proximi, nisi forte corripiens sit Praelatus. Quinto, quod non expectetur aliud tempus, in quo commodius, aut ex parte commode corrigi possit, & alioquin sit periculum in differenda correptione. Sexto tandem, quod ex intentione, & proposito omitteretur correptio, nam si ex quadam tepiditate, aut simili affectu omitteretur, non esset peccatum mortale, nisi alioquin notabile proximi damnum tantum esset, ut grauiter imputaretur nolenti ei succurrere correptione, ut optime Caietanus. Et quidem Valentia *supra*, dixit raro concurrere circumstantias requisitas, ut praecipuum correptionis obliget sub mortali, & Emanuel Sa- ver *correptio, n. 2.* Omittere (inquit) correptionem, si- ferè semper veniale peccatum est, in Praelatis tamen, quorum maior est obligatio subditos corripiendi, facile potest esse mortale, si ex negligentia, aut timore correptionem

correctionem necessariam omittant, Vide Sanctum Augustinum tom. 5. lib. 1. de ciuitate, cap. 9. & aduerte eodẽm Prelatos posse grauem culpam committere, etiam si culpam, quã correctionem omittunt, sint valde leues, si propterea disciplina Religiosa iacturam notabilem patiantur, vt facile pati potest, tenentur etiam defectus inquirere, neutrum autem subditorum est, de quibus in hoc loco potissimum sermo est.

2. Facit in confirmationem doctrinæ, quam ex Valentia, & Sã retulimus: id, quod graues doctores notant, explicantes, * quando sit peccatum mortale, non contradicere detrahenti, licet detractione ipsa non delectetur, qui audit: sanctus enim Thomas infra quæstion. 73. artic. 4. ait: Si quis nunc correctionem omittat ob negligentiam, verecundiam, vel timorem, qui non sit mortaliter malus, non peccare plerumque, nisi venialiter; addit autem Sotus lib. 1. de Insuperioribus, 10. artic. 4. pag. 457. non conseri timorem hunc mortaliter malum, quoties propter illum omittitur correctio proximi, sed quando omittitur ob timorem correctio illa ad quam adhibendam est strictior obligatio, vt si detraheretur fidei, Religioni, &c. Nec dissimilis est doctrina Nauarri in summa cap. 18. num. 37. dicentis. Qui audit detrahentem sine assensu, & delectatione, licet non contradicat ob verecundiam, vel amicitiam, non peccat mortaliter, nisi in tribus casibus. Primus est, si sit superior, cui incumbit munus corrigendi subditos. Secundus, si ultra infamiam prouenit magnum aliquod damnum dicenti, vel alteri. Tertius, si fama illius, cui detrahitur, valde læditur; quod ita intellige, vt læsio sit maior, quã illa, quæ præcisè sufficit, vt detrahitio sit mortalis, alioqui enim non esset dubium, quin lethaliter non peccaret omittendo correctionem.

3. Ex quibus omnibus tandem concludo, præceptum hoc fraternali correctionis ample accipiendum esse, nec facile credendum, timoratos præsertim viros peccare lethaliter illud violando, præsertim si Prelati non sint, non solum, quia ita sentiunt graues Doctores, sed etiam quia præcepta charitatis penã minus rigorosam afferre solent, & præsertim istud elemosinæ spiritualis cuius finis, cum sit subleuare miseriam spiritualem proximi, scilicet culpam: in qua ipse liberè est, & à qua liberè exire potest, non ita propriè censetur pati spiritualem necessitatem, sicut nec propriè pateretur corporalem, qui posset facile sibi ipse succurrere, quod autem necessitas proximi minor est, eò minus tenemur illam subleuare. Et hæc omnia docet Granado ubi supra, quæ quidem maximè notanda erunt, cum non parum leue reddant onus præcepti fraternali correctionis.

RESOL. VII.

An ratione circumstantiarum omisso correctionis fraternali sit sepius tantum peccatum veniale, aut nullum? Ex part. 7. tractat. 3. Resolut. 61.

Svprã probauimus præceptum correctionis fraternali per se obligare ad peccatum mortale; in praxi tamen ratione circumstantiarum & conditionum; quæ necessariae sunt ad correctionem, existimo paucos in eius transgressione peccare mortaliter, & idẽ adducam hic (maximè pro scrupulosis) more meo ipsissima verba doctorem, Tom. VII.

rum, & inter illos agmen ducat sapientissimus heu vlt. huius quondam Concilius noster P. Ios. ph de Augustino in sua Breui notitia, &c. in Præcept. Decalogi num. 29. vbi me citato sic ait. Requiritur autem ad correctionem hæc conditiones: Prima vt certam notitiam quis habeat de peccato proximi, secunda vt ex correctione speretur probabiliter fructus, & emendatio, saltem ad tempus. Tertia si probabiliter iudicem, proximum indigere mea correctione ad emendationem. Quarta si sit debitus locus, & tempus, & alia circumstantia: quæ videntur necessariae ad finem correctionis. Ex quarum conditionum defectu facile est, passim excusari homines à peccato mortali, ex defectu correctionis, maxime in casibus repentinis, & ad personas ignotas

2. Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 3. cap. 7. num. 3. Qui propter passionem timoris verecundia, pusillanimitatis tam strictè se ad hoc obligatum esse non aduertit; vel in eiusmodi affectione constitutum minus idoneum se existimat ad fratris delictum emendandum; quamuis huiusmodi timor, & existimatio inanis sit, plerumque tamen corripiendi negligentia culpam venialem non excedit. Ita S. Thomas, q. 33. art. 2. ad 3.

3. Caltrus Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 3. puncto 6. num. 1. & 2. Plurimi non corrigentes proximum excusantur saltem à mortali; pudor illos, & verecundia occupat, ne corrigant; vincere autem pudorem, & verecundiam non facile possunt, qua ratione in materia detractionis excusamus à peccato mortali audientes detractorem, & præ verecundia illum non corripientes: & hæc de causa dixit Emanuel Sã, verbo, correctio, num. 2. omittit correctionem frequenter veniale peccatum est: Hucusque Palaus.

4. Aegidius Coninch de Charitate, disp. 28. dnb. 6. num. 126. in communibus necessitatibus priuatus tenetur corrigere peccantem etiam cum aliquo suo incommodo v.g. et si credat se idẽ deridendum, aut aliquas iniurias auditurum, aut aliquod odium non ita sibi nouum subiturum. Ad id tamen non tenetur cum graui suo incommodo, nisi forte aliter omnino crederetur alius in peccato suo mortuus, & speraretur per correctionem emendandus. Sed hoc vix habet locum nisi in mox morituris: & sic intellige S. Thomam 2.2. quæst. 3. art. 2. qui videtur docere, nos etiam cum graui nostro periculo teneri corrigere proximum. In omnibus autem his casibus, quod spes profectus est minor, eo cum minore meo incommodo teneor alios corrigere, & facilius excusor.

5. Ex quibus patet, priuatos non ita sepe peccare, præsertim mortaliter, omissione correctionis fraternali, quando ex aliquo timore humano eam omittunt; quia facile sibi persuadent, & quidem sepe cum aliqua probabilitate, aut se nihil profecturos, aut alium sine sua opera emendandum, vt insinuat S. Tho. supra ad n. 3. Nauarri. c. 24. n. 12. & S. Aug. supra, vbi docet, priuatos omittentes corrigere peccantes, eo quod timeant eos offendere, temporaliter idẽ, non autem eternum puniri. Loquitur autem, vt ex contextu patet, de casu in quo alij sunt in communi, non autem in valde graui necessitate correctionis. Ita Coninch.

6. Greg. Valentia tom. 3. disp. 3. q. 19. pun. 2. Quarto certum est si quis in casu, quo iuxta supradicta teneatur sub mortali fratrem corrigere, omittat id facere, tamen excusari à peccato mortali, si id omittit facere non ex amore sui, vel timore prædominante tunc fraternali charitati, videns nimirum se posse, & debere alioqui & emendare fratrem, sed solum ex quadã negligentia, & tepiditate, ob quã non cogitet se tunc posse fratrem

Sup hac detractione in Ref. præterita §. Facie à lin. 3. & in alijs eius not.

Sup. hoc infra in Ref. 18. & lege etiam Ref. & §. eius not.

fratrem iuuaretunc enim solum peccaret talis venialiter.

7. Valer. Reginal. *to. 1. lib. 4. c. 25. num. 336.* Tantum addiderim pro praxi, non esse de mortali facile dammandum priuatum omittentem correctionem fraternam, quia præceptum datum de ea, non est adeo euidentis lumine naturali, quin facile possit ab indoctis ignorari inculpabili ignorantia. Et *num. 346.* A mortali facile excusari possunt homines priuati propterea omittentes fraternam correptionem, quod aliquibus coniecturis, etsi satis leuibus, sibi persuadent nihil per eam se profecturos, aut certe tunc temporis ad eam non teneri: sic autem affecti sunt animo, ut cognoscentes se teneri, aut profecturos esse, nolent omittere, sed charitatem præponere siue timori, siue cupiditati, pro ut præceptum de spiritali elemosyna obligat.

8. Vincent. Filliucius *tom. 2. tract. 28. c. 7. num. 142.* Qui bona fide ex metu aliquo omittit correctionem, credens se per illum excusari à præcepto, quamuis reuera metus non esset sufficiens, non peccat mortaliter. Ratio est, quia non adest in eo voluntas contraria præcepto. Dixi, bona fide, quia si ex malitia, vel ignorantia crassa, vel necessitas proximi maxima esset, non excusaretur.

9. Egidius Trullench. *in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 5. dub. 14. num. 7.* si extraneum, aliumve mihi ignotum videam, aut audiam peccantem, non teneor corripere, cum ipsius ingenium ignorem; fieri enim potest, ut iste stimulus agitur verba proferat contumeliosa, vel alia peccata committat, solent enim aliquando isti, si corripantur, dicere, *Quien os mete a nos en esto?* Hanc etiam sententiam tuetur Diana *part. 3. tr. 5. Miscel. resol. 93.* ubi ait: Vnde sunt hi tollendi

Quæ hic est infra in Ref. 17 & in alijs eius anor.

Sup, hoc ad litera supra in §. vlt. Ref. 4.

scrupuli ab iis, qui volunt corripere aliquos per plateas ciuitatis blasphemantes: nam in tali non tenentur ad præceptum correctionis cum nesciant naturam, & conditionem talium personarum. Ita Trullench, vide etiam ipsum paulo infra *num. 14.*

10. Lorca *in 2. 2. D. Th. disp. 45. n. 3.* Quamuis omissio correptionis de mortalibus ex genere mortalis sit, potest fieri venialis ex imperfectione actus; tunc scilicet quando quis in preparatione animi desiderat salutem proximi, & paratus est subsidium conferre, cum viderit esse necessarium, sed ex quadam tepiditate, & inaduerentia retardatur à correptione, aut non satis perspicit articulum necessitas. Ex quo constat quod S. Th. dicit *art. 2. ad 3.* correptionem posse omitti aliquando meritorie, aliquando cum peccato mortali, & aliquando cum solo veniali.

11. Ioan. Machadus me citato *de perf. Confess. tom. 1. lib. 2. part. 2. tr. 6. docum. 11. num. 7.* Valencia affirmat, que raras vezes pueden suceder, i concurrir las circunstancias necesarias para que la omission deste precepto lleue a ser mortal. Y Manual Sa sente, que casi siempre no excede de venial: sino en los Prelados, los quales tienen mayor obligacion, de corregir a sus subditos.

Quæ hic est Ref. antecessens, & in alia eius primæ not.

12. Et tandem ne deferas recognoscere Granadum quem ego adduco *in part. 4. tr. 4. resol. 228.* & videbis ferè semper excusari fideles à peccato mortali non adhibendo correctionem, desunt enim sæpius præter supradicta circumstantiæ necessariæ, ut præceptum correptionis obliget, quod patet ex multis resolut. in hoc Tract appositis. Et docet etiam præter Doctores citatos Gasp. Hurtado *disp. 6. de Correc. diff. 9.* & Francisc. del Castillo *in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correc. quest. 5. num. 10.* Vnde ex his apparet incertitia cuiusdam Theologaltri, qui notauit non bene me dixisse omissionem correctionis difficulter esse peccatum mortale, & ideo volui adducere verba singulorum Doctorum. Sed modò restat pro coronatione

de huius Tractatus duas pertractare difficiles questiones, ideo quaro.

RESOL. VIII.

An quis teneatur sub peccato veniali corripere peccata venialia proximi?

Et quid de Religiosis, maxime de Prælati Religiosorum, & Gubernatoribus Reipublicæ, an isti sub peccato mortali peccata venialia subditorum corrigere teneantur?

Et an particulares Religiosi, sicut Prælati, sub eodem onere corripere fratres de peccato veniali teneantur? Ex p. 5. tr. 2. Ref. 38.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam tenent Turrianus *in 2. 2. tom. 1. disp. 86. dub. 2.* Valens *tom. 3. disp. 3. quest. 10. pun. 2. sub fine.* Sotus *de te. gendo secreto quest. 2. concl. 3.* Lorca *in 2. 2. disp. 41. num. 9.* & alij. Quia lex charitatis videtur exigere, ut malum proximi, licet exiguum, impediatur.

2. Sed negatiuam sententiam docet Azorius *p. 2. lib. 12. c. 14. quest. 4.* ex Angelo, & Syluestro. Ratio est, quia quando frater peccat venialiter, gratiam Dei non amittit, ac proinde correctionis præceptum non obligat, quia est ad luendum fratrem. Ergo, &c. Cæteras rationes adducit Layman *in Theolog. moral. lib. 2. tract. 3. cap. 7. num. 3.* & Biber *in 2. 2. q. 33. art. 1. dub. 2.* Sed excipiuntur, qui ratione officij curam aliorum habent, ut Prælati Religionum. Imò fieri potest, ut ij sub mortali peccato venialia subditorum corrigere teneantur, si aliter se habendo, regularis obseruantia grauius minuantur. Et tenent ita docent Thomas à Iesu *in lib. de Visti. tract. 1. c. 6. num. 11.* Miranda *de ordine iudiciario, tom. 1. q. 10. art. 1. concl. 5.* Tannerus *in 2. 2. disp. 2. q. 5. dub. 4. num. 76.* Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 4. diff. 1. num. 5.* & alij.

3. At plus addit Bañez *in 2. 2. q. 33. art. 1. dub. 2.* Nam supradicta doctrina extenditur non solum ad Prælatos Religionum, sed etiam, saltem in aliquo casu, ad Gubernatores Reipublicæ, sic enim asserit. Sotus addit, Gubernatores Reipublicæ tenentur tales defectus qui sunt venialia peccata grauiora, & consuetæ, expellere à Republica sub peccato mortali, si possint; hoc tamen mihi videtur nimis durum, obligare temporales Gubernatores ad tantam perfectionem, nisi forè sint peccata perturbantia pacem Reipublicæ, vel abusus, qui Reipublicam damnificare possunt, & tales solent esse Pragmaticæ circa curiositatem, vel pretiositatem vestium, quamuis huiusmodi abusus in singulis, non sit nisi veniale peccatum. Sic Bañez, quem sequitur Azorius *ubi supra.*

4. Sed his non obstantibus, loquens etiam de Prælati Religionum, sic asserit Rodriguez *de Ordine iudiciario, cap. 9. num. 7.* Pecaran grauiamente los Prelados no estirpando las costumbres malas de pecados veniales, si son, o pueden ser ocasion de pecados mortales, porque non siendo ocasion de pecados mortales, yo no hallo razon suficiente, para los condenar a peccado mortal, siendo desenyados en su vida por vicios veniales, porque no tiene mayor obligacion el Prelado de mirar por su Republica, que el particular de mirar por su alma, y cierto es, que el particular, que no descarga su alma de las malas costumbres de pecados veniales, no peca mortalmente, si las tales malas costumbres no son ocasion propinqua de pecados mortales. Ita Rodriguez.

7. Sed supposita contraria sententia, difficultas verò est, an particulares Religiosi teneantur, sicut Prælati, sub eodem onere corrigere fratres de peccato veniali? Affirmatiuè respondet Coninch. *vbi suar. disp. 28. dub. 3. n. 24.* vbi sic asserit. Certum est superiorem Religiosum teneri in suis subditis corrigere peccata venialia, quando alias imminet periculum, ne disciplina religiosa magna ex parte dissolatur, quia tenetur, quantum potest, dare operam, vt hæc tota integritate seruetur. Imò credo certum esse, quemuis etiam priuatum, præsertim si sit membrum illius Religionis, teneri ad eiusmodi correctionem, quando commodè potest, & sperat fructum; quia talis dissolutio est graue valde malum ipsius Religionis; siue totius communitatis, quod ille ex charitate, & fide, quam debet matri suæ, scilicet ipsi Religioni, tenetur impedire. Ita Coninch. Sed citati DD. hoc onus in tali casu imponunt solum super humeros Prælatorum, & nihil asserunt de Religiosis particulibus. Ergo, &c. Cogita.

RESOL. IX.

An sit præceptum sub veniali corrigendi peccata venialia? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 7.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Valentia *romo 3. disput. 3. quest. 10. punct. 2.* Suarez *de Char. disp. 8. sect. 2. num. 6.* & Villalobos *in Summa tomo 2. tract. 4. difficult. 2. num. 5.* Lorca *in 2. disput. 41. num. 9.* Petr. Hurtadus *volum. 2. disp. 162. sect. 8.* Galpar Hurtadus *disp. 6. de Correc. difficult. 5.* Et hanc sententiam docet etiam Cæstrus Palauus *romo 1. tract. 6. disp. 3. punct. 3. num. 3.* Mouetur etiam ratione adducta à Valentia: Charitas, & amicitia, & misericordia in proximum non solum te obligat, ne illi consulas, vel eum adiuues ad peccandum venialiter, sed etiam ne permittas cadere, cum commodè potes à casu remouere: sicut in temporalibus non solum obligatis damnium etiam leue non inferre proximo, sed etiam præcauere, cum possis. Deinde vnusquisque tenetur proximum, sicut seipsum diligere, volendo scilicet proximo ea, quæ tenetur velle sibi: sed tenetur quis sub peccato veniali velle in effectu, & procurare sibi immunitatem à quouis peccato veniali: ergo etiam proximo.

2. Verùm negatiuæ sententiæ adherent Trullench, *in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. n. 4.* Duallius *in 2. tract. de Charitate, quest. 9. art. 2.* Fillucius, *tom. 2. tract. 28. cap. 5. num. 118.* Reginaldus, *romo 1. lib. 4. cap. 25. num. 333.* Franciscus del Castillo, *in 3. sentent. tomo 2. disp. 6. de correct. quest. 3. parte 2. num. 9.* Torres, *in 2. 2. quest. 33. art. 2. dub. 2.* Reginaldus, *romo 1. lib. 4. cap. 25. n. 333.* Azorius *romo 1. lib. 12. cap. 4. quest. 4. Sæ. ver. Correctio, num. 5.* & alij. Et ratio est, quia per peccatum veniale frater non est perditus: Ergo correctio, quæ ad lucrandum fratrem ordinatur, ex illo Matthi. 18. *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*, in peccatis venialibus locum habere non potest. Secundò, à peccatis venialibus facillimo negotio se potest quis liberare, vel in Sacramento, vel extra: Ergo non indiget auxilio alterius. Tertio, esset graue iugum hanc obligationem hominibus imponere, cum omnes in periculo peccandi venialiter frequentes sint.

3. Sed hæc argumenta parum vrgent, nam fateor Christum Dominum *Matthi. 18.* locutum fuisse de correctione peccantis mortaliter, non venialiter. At inde non inferitur non esse præceptum de corrigendo fratre peccante venialiter in illò præcepto tacitè inclusum, non quidem sub culpa graui, sed leui; quia

leuiter, & secundum quid per correctionem corrigens lucratur fratrem. Ad secundum respondeo facile posse peccantem venialiter se à peccato liberare, vt verò facilius liberetur, seu vt efficaciter liberetur, indiget correctione. Ad tertium dico non esse graue iugum, quia nec sæpe speratur fructus ex correctione, neque constat de periculo proximi, neque facile abique verecundia eum potes corrigere.

4. Sed putat Coninch *disp. 28. dub. 3. num. 31.* neutram ex his sententiis esse absolutè, & generatim veram; imò credit auctores eam non intendere eas ita absolutè, & generatim asserere: atque adeo puto eos posse conciliari. Respondeo igitur primò; nos communitè non teneri fratrem corrigere ob sola peccata venialia, quando aliud non subest periculum: & hoc satis probant rationes pro secunda sententia allata.

5. Respondeo secundò, valde tamen esse probabile, nos aliquando per se, & secluso alio periculo sub veniali teneri fratrem corrigere ob peccata venialia, quando certæ ad sunt conditiones, scilicet Primò, quòd manifestum sit ipsi peccasse, & quidem in genere peccati venialis aliquo modo grauitè. Secundò, quòd omnino commodè, & sine peccantis offensione eum possim corrigere, ita vt moraliter aliquo modo certus sim correctionem profuturam, & nullo modo obfuturam. Hæc autem obligatio maximè habet locum, quando peccatum esset aliis scandalo, trahendo eos ad imitationem. Ratio est, quia cum eiusmodi peccatum sit notabile proximi malum, & vera Dei offensa, sincera Dei, proximique charitas exigit, vt id ab eo auertam, quando id tam facile facere possum: sicut mala proximi corporalia etiam leuia teneor ab eo auertere, quando sine villo meo incommodo id facere possum. Ergo, &c.

6. His tamen non obstantibus, ego puto correctionem fraternam pro venialibus non esse in præcepto, excluso aliquo casu, de quo *infra*, quia *Matthi. 18.* vbi potissimum istud præceptum à Christo declaratur, & iniungitur, supponit proximum, cui adhibenda est correctio, esse perditum, & æternæ damnationi obnoxium: aliter enim non dixisset; *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; cum ergo peccata venialia tantam ruinam in nobis causent probabile est ordinariè nos non teneri pro peccatis venialibus, fraternam correctionem adhibere. Deinde si a selet singulis ferè momentis, homo ad id teneretur, propterea quòd peccata venialia sunt quotidiana, & septies in die id est, multoties in ea incidimus hoc autem valde esset incommodum & durum; igitur propriè & ordinariè tantum pro peccatis mortalibus ad correctionem tenemur.

RESOL. X.

An in peccato Correctionis Fraterna detur paruitas materia?

Et docetur Prælatos Religionum peccare mortaliter, quando negligunt corrigere peccata venialia in suis Religionibus committi solita, si ex correctionis omissione disciplina Regularis imminatur. Ex p. 5. tr. 5. Ref. 66.

§. 1. Respondeo correctionem fraternam per se interdum ad mortale obligare, * nam per accidens ratione leuitatis materiæ vt obseruat Duallius *in 2. 2. D. Thoma tract. de char. quest. 9. art. 2. ad 3.* vt si proximus tantum peccauisset venialiter, regulariter loquendo onittere correctionem, non est peccatum mortale. Dixi regulariter propter Sotum;

* Sup hoc supra in Ref. 8.

qui in 4. diff. 19. q. 2. mem. 2. conf. 3. docet Prae-
 latorum Religionum peccare mortaliter, quando negli-
 gunt corrigere peccata venialia in suis Religionibus
 committi solita, si ex correctionis omissione disciplina
 regularis imminuat. Sed putat Duallus ubi supra
 citra hunc casum correctionem fraternam de peccatis
 venialibus nunquam ad mortale obligare, imò addit
 nullum esse praeceptum corrigendi proximum pro
 peccatis venialibus, quando ex iis notabile detrimen-
 tum non emergit, nam *Matthaei* 18. ubi potissimum
 hoc praeceptum à Christo declaratur, & iniungitur,
 supponit proximum, cum adhibenda sit correctio,
 esse perditum, & aeternae damnationi obnoxium, aliter
 enim non dixisset, *Si te audierit, lucratus eris fratrem
 tuum.* & *Iacob* 5. dicitur. *Qui conuersi fecerit pecca-
 torem ab errore via sua, saluabit animam eius à morte,*
 sed anima non incurrit iacturam salutis suae per pec-
 cata venialia. Ergo tunc non tenemur corrigere.

RESOL. XI.

*An ut praeceptum correctionis obliget, opus sit, ut
 adsit spes probabilis emendationis?
 Et an requiratur necessario fructum ex correctione sta-
 rim sperare, Vel sufficiat, si decursu temporis spe-
 retur.* Ex p. 7. tr. 3. Ref. 21.

Sap. hoc in-
 fra in Ref.
 16. §. 1.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue, quia aliàs esset om-
 nino inutilis correctio, & corripiens esset
 similis medico, qui daret aegro inuito amarum medic-
 inam, quam sciret nullo modo ei profuturam: quare
 corripiens hoc solum videretur agere, ut alterum in
 se concitet, & gratis inuidiam subeat, & iniurias au-
 diat. Hinc Prou. 9. Scriptura nos monet: *Noli ar-
 guere derisorem, ne oderis te; argue, sapientem, &
 diligit te;* & *Matth.* 7. *Nolite sanctum dare canibus,
 neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè con-
 culcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.*

2. Hinc patet multò minus corripiendum esse
 proximum peccantem, quando per correctionem
 creditur excitandus, ut grauius peccet, v. g. blas-
 phemando, aut nos graui odio prosequendo, & c.
 tunc enim correctio esset grauius noxia, id è quod eam
 scienter adhibens grauius peccaret, sicut is qui daret
 aegro medicinam, quando ob certam huius disposi-
 tionem, sciret ipsi mortem allaturam. Hinc etiam D.
 August. lib. 2. de *Cinrat. cap.* 9. monet nos, ut eo
 casu abstineamus à correctione: defectu autem huius
 conditionis multi saepe, & praesertim ij, qui apud pec-
 cantes non sunt magna auctoritate excusantur à pec-
 cato, dum hos non corripiunt; quia persuadent sibi
 se frustra id facturos. Et similiter ferè communiter
 excusantur à corripiendis iis qui publice, & ex con-
 suetudine peccant: quia raro est spes hos emendandi.
 Et ita docent communiter Doctores, quos citat, &
 sequitur Trullench in *Decal. tomo* 1. lib. 1. cap. 5. *dub.*
 14. *num.* 6. Hurtadus de *Mendoza vol.* 2. *disp.* 162.
sect. 2. Bañez in 2. 2. *quest.* 33. *art.* 2. *dub.* 4. Re-
 ginaldus lib. 4. *cap.* 25. & Villalobos in *summa tom.*
 2. *tract.* 4. *diffic.* 3. *num.* 1. & alij.

3. Nec obstat dicere, quòd cessante fine legis in
 aliquo particulari, non propterea cessat in eo legis
 obligatio: Nam tenetur aliquis ieiunare in Quadra-
 gesima v. g. etiam si ipse alioqui non indigeat macera-
 tione carnis, quae est finis legis de ieiunio: Ergo ne-
 que in proposito cessat obligatio legis de correctione,
 etiam si in casu particulari non speret quis emendatio-
 nem proximi, atque ita cesset hic finis eius legis.

4. Respondendum est enim per distinctionem
 Antecedentis. Nam verum id est, intellectum de fine

extrinseco, & mediato actus imperati, atque ad
 legis: cuiusmodi finis est carnis maceratio, respectu
 ieiunij, siquidem ieiunium habet alium quoque finem
 sibi intrinsecum. & immediatum, nempe ipsum ob-
 iectum formale suum, ut est actus virtutis temperan-
 tiae. Falsum est autem illud antecedens intellectum de
 de fine immediato & intrinseco actus imperati, atque
 aded legis: cuiusmodi finis respectu actus correptionis
 est emendatio proximi saltem moraliter, & in in-
 tentione corripientis. Nam ut correctio est actus vir-
 tutis misericordiae, pro obiecto formali habet suble-
 uationem misericordiae proximi existentis in peccato, id est,
 proximi emendationem, saltem moraliter in intentione
 corripientis: quod obiectum non habet in inten-
 tione, & voluntate hominis vllum locum, quando is
 iudicat, minimè securitatem proximi emendationem.

5. Aduertendum est tamen non requiri necessa-
 rio fructum ex correctione statim sperari: si scilicet
 decursu temporis speretur, ita Suarez de *char. disp.*
 8. *sect.* 3. *num.* 4. & relato Syluest. Adrian. Nauar.
 & D. Thom. docet Ioan. Sanchez *disp.* 6. *sect.*
num. 9. §. *aduertendum.* Thom. Sanchez lib. 3. de
matrim. disp. 13. *num.* 3. & alij plures. Quare si
 persona talis est, quae sperare possit in correctione fore
 emendam, debet primam, & secundam operari,
 quia iam erant illae correctiones necessariae. At hoc
 nimis metaphysicum est. Quis potest enim sibi per-
 suadere illam tertiam correctionem non habituram
 effectum, nisi praecedentibus duabus primis, aut vnde
 probabiliter cognosci potest non repulsum peccato-
 rem illam tertiam correctionem, sicut & duas pri-
 mas? si igitur ex alio capite praesumitur peccato-
 rem tempore illius tertiae correctionis fore dispositum
 ad correctionem obtemperatorem, omittatur correctio
 quae ad illud tempus, siquidem antecedentes correctio-
 nes nullius sunt effectus, & ita docet Castus Palaeus
 tomo 1. *tract.* 6. *disp.* 3. *puncto* 5. *num.* 2.

RESOL. XII.

*An proximus sit corripiendus, si correctio initio ob-
 erit, sed postea proderit?* Ex p. 7. tr. 3. Ref. 23.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Valentia tomo 3. *disp.*
 3. q. 10. *puncto* 2. ubi sic ait: Quarta cir-
 cumstantia est, quando quis non modò nihil se effe-
 cturum apud proximum iudicat, sed etiam eualurum
 eum deteriore, si corripiatur. Tunc enim multò
 clarius apparet, non teneri quempiam corripere pro-
 ximum, sed potius debere correctionem intermittere
 ut docet D. Thomas *art.* 6. & alij omnes. Atque
 hanc ob causam dicitur Prouerb. 9. *Noli arguere de-
 risorem, ne oderis te; & fiat nimis deterior per id
 odium,* sicut exponit Glossa ordinaria citata hic à D.
 Thoma.

2. Est autem haec doctrina intelligenda, quando
 absolute putatur proximus futurus deterior propter
 correctionem: Nam si tantum putatur futurus deterio-
 rior ab breue aliquo tempore; atque scilicet ferens
 correctionem, postea autem omnino ad se rediturus,
 & beneficium correctionis cogniturus, & se placè
 emendaturus, corripiendus esset; ut colligitur ex
 doctrina D. Thom. in 4. d. 19. q. 2. *art.* 2. *questio.*
 2. ad 5. & notat ex ipso Adriano in 4. *sub finem ma-
 teria de Indulgentiis, in quest. de Correctione fratrum,*
 §. *Et quoad secundam partem.* Nec tunc is qui corripit
 cooperabitur nouo peccato proximi, sed tantum
 illud negliget ob maius bonum postea securitatem,
 scilicet ob feriam conversionem, & iustificacionem
 eius, quae postea speratur. Ita Valentia. Igitur vide-
 tur

tur minus malum fratrem aliqua peccata committere, & postea omnino emendari, quam ipsum pergere in suis peccatis herere.

3. Sed Lorca in 2. 2. *D. Thoma, disp. 44. num. 11.* putat ut hæc sententia admittatur magna prudentia opus esse. Primum enim oportet, ut certa omnino sit spes futuræ utilitatis. Deinde expendendum est, quando fiet deterior in presenti: si enim timetur proruptio in aliquod inagnum peccatum, quod sit iniuria Dei, aut alterius, ut blasphemiam, vel homicidium, abstinendum est omnino a correctione: Si autem detrimentum spirituale præsens non sit adeo grave, & utilitas futura sit certa, licet correctione uti. Hæc Lorca.

4. Quæ Coninch *disp. 28. de Charitate, dub. 6. n. 98.* putat probabiliter dici posse, quando correptus ratione correctionis omnino credatur aliquem occisurum, tamen quando solum creditur blasphematurus, aut simile peccatum commissurus, quo non sit ita graviter nociturus innocenti, aut bono communi, credo omnino dicendum, talem corripiendum esse, si planè credatur posita correptione, tandem aliquando emendandus & saluandus, & aliàs damnandus. Et in hoc sensu putat intelligendum esse Valentiam, *D. Thom. & Adrianum.*

5. Vnde non desinat hic apponere verba Duallij in 2. 2. *D. Thoma, tract. de Charit. quest. 9. ar. 4.* Sic enim asserit: Quæret aliquis, an quando proximus ex correptione pro presenti tempore correptionis prævidetur futurus deterior, postea tamen, ex consideratione ipsius correptionis ad meliorem frugem, & mentem redibit, debeat illi abhiberi correptio, an verò omitti possit & debeat? Ratio dubitandi ex eo petitur, quod etiam si in fine futura sit probabiliter hæc emendatio, tamen ad eam, non nisi per peccata aliqua, quorum causa est ipsa correctio fraternalis, perveniet; atqui non sunt facienda mala, ut inde eueniant bona: ergo in eo casu non tenebitur quis ad correctionem fraternalis; Nihilominus primò asserendum est, in eo casu, nos ad correctionem fraternalis obligari, ut docent Adrian. in 4. *quest. de correct. fraternali.* Soto, Franciscus à Victoria, ut in *art. 6. quest. 33.* refert Bunes, præsertim quando prævidemus eum aliàs in peccato suo moriturum, & ex consequenti damnandum. Primùm, quia non est necesse ad correctionem fraternalis, ut statim speretur emendatio, sed satis est ut tandem aliquando, etiam in fine vitæ proficiat. Secundò; Christus, præscribendo huius correctionis præceptum, insinuavit emendationem non tam citò contingere, sed interdum differri usque ad denunciationem ad Ecclesiam, imò usque ad excommunicationem, quæ post eam infertur: igitur quamvis non tam citò emendetur, sed potius obduretur, & irascatur, quando actu corripitur; non debet tamen quis à correptione desistere. Tertio, peccata illa, quæ post monitionem futura prævidentur, tandem remittentur per finalem emendationem: ergo propter illa non debemus correctionem omittere, præsertim quando aliud, præter correctionem illam fraternalis, remedium non occurrit. Quarto, ut optime docet Adrianus, finis præcipuus, vltimatus, & ad quem per se ordinatur correctio fraternalis, est, ut saluetur proximus, qui quid illi in contrarium possit accidere: ergo etiam si prævideatur, etiam ex hac admonitione, & correctione peccata aliqua commissurum, dummodo in fine beneficio correctionis saluetur, non debet ipsa omitti. A Iuere tamen optime Lorca, habendam esse rationem peccatorum: nam si per correctionem debet in peccatum aliquod gravissimum, puta blasphemiam horrendam contra Deum, & homicidium incidere, abstinendum esset ab ipsa correptione: quando autem detrimentum præsens, quod timetur, non est ita grave, etiam si forte lethale sit, non debet quis pro-

pterea à correctione cessare. Vnde ad rationem dubitandi allatam, respondeo, peccata illa, quæ ex correptione contingunt, esse per accidens, præter intentionem ipsius corripientis: nihil enim aliud intendit, præter illius emendationem, quo fit, ut correptionem fraternalis non debeat propterea omittere, maxime verò, cum correctio sit per se, & suapte natura bona, & ab omni peccato præclusa aliæ. Hucque Duallius.

6. Sed ego, ut verum fatear asserendum puto rarò contingere, ut quis sub peccato mortali obligetur corripere eum, quem probabiliter putat in presenti fore deteriorem, & per impatientiam, atque contumelias contra corripientem, aut alios, de nouo peccaturum licet postea coniciat eum iri ex illa correptione emendatum. Ratio est, quia non tenentur homines tam procul respicere, sed satis est, ut videant, an in presenti obfutura sit correptio. Deinde, rarum est, aut saltem vix, ac ne vix quidem, probabiliter potest constare, utrum qui in presenti videtur futurus ex mea correptione deterior, postea ex ista mea correptione emendetur: quo fit, ut rarò contingat, homines ad correptionem fraternalis, in isto casu obligari; præsertim, cum peccata illa, quæ ex mea correptione committet eum ad perseverandum in peccato suo, de quo corripitur, disponant: hoc autem intelligendum est, nisi forte esset homo ille in extremo vitæ periculo; tunc enim, quia non amplius illi restabit vltimum ad salutem remedium, debemus correptionem impendere, eumque de animæ suæ detrimento serid admonere. Vide Duallium *suprà.* Vide etiam circa præsentem questionem Reginaldum, *tom. 2. lib. 4. cap. 25. num. 338.*

RESOL. XIII.

An ad auertendum damnum alienum teneatur quis corripere aliquem, etiam si credat peiorem esse futurum? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 24.

§. 1. AD hunc casum sic respondet Coninch *de Charitate disp. 28. dub. 6. num. 107.* Huc etiam referri potest illa correptio, qua quandoque tenentur uti etiam non superiores, quantum vis non sperent emendationem corripiendi, sed credant hunc ob eam gravius peccaturum: quando nimirum illa est necessaria ut Dei iniuria, vel illorum scandalum, aliorum peruersio, aut grave innocentis damnum impediatur. Vnde hæc correptio proprie assumitur, non ad emendationem aut punitionem delinquentis, (pro ut assumuntur fraternalis & iudicialis) sed ad defensionem innocentis, & ad dicta mala impedienda.

2. Hinc quando audio aliquem coram aliis laudantem hæresim, aut contemnentem rationes quibus nostra fides probatur, aut dicentem, aut exercentem turpia cum periculo ne illi peruerantur: teneor eum corripere etiam si timeam ex tali correptione illum peiorem futurum: modò sit spes impediendi aliorum peruersionem.

3. Item si audiam aliquem coram aliis viro honesto grauer detrahenlem, teneor eum corripere, modò sperem hac ratione impedire ne alij ipsi credant quantumvis credam ipsum idèd grauius peccaturum.

4. Item si audiam aliquem coram aliis blasphemantem, si sine notabili incommodo possim, teneor eum corripere, etsi desperem eius emendationem; quia hac ratione quodammodò Deo suum honorem restituo. Ad hoc tamen non videor tenei, quando alter idèd esset grauius blasphematurus; quia tunc mea correptio non cederet in Dei maiorem honorem, nisi forte esset necessaria ad impediendum aliorum scandalum

5. Ex his patet, hanc correptionem esse proprie defensionem innoentis iniuriam patientis, aut graue periculum incurrentis, & similem illi actioni, qua defendo vitam innoentis ab iniusto inualore: quod vtendo moderamine inculpatæ tutelæ licitè facio cum inuualoris interitu.

RESOL. XIV.

An qui certo non scit peccatum Fratris teneatur illum corripere?

Et an in Prelatis sufficiat suspicio, vel dubia cognitio, vt teneantur sub mortali inquirere peccata subditorum ad Correctionem faciendam?

Et quid de alijs, an teneantur inquirere peccata occultata aliorum? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 6.

Sup. hoc in Ref. seq. §. vlt.

Sup. hoc infra in Ref. 24. §. 1. inter medium & finem, Verf. ac Ver. & in Ref. 25. §. Sed licet.

Sup. his Prelatis in duabus Ref. not. præterita late à principio.

§. 1. **R**espondeo negatiuè, non enim obligat præceptum correptionis, nisi eum, qui peccatum fratris nouit: iuxta illud. *Si peccaueris in te frater tuus, &c. id est, te sciente, vt ante explicauimus. Neque tenetur is, qui priuata persona est, indagare, & inquirere aliorum peccata, ad eum finem, vt corripiat, sicut rectè docet S. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 2. ad 4. & Caietanus in Summa, verb. *Correctio fraternalis*, & Syluester eod. verb. n. 3. & alij communiter. Tum quia non cuius integrum est exploratorem agere vitæ alienæ; Effet enim contra illud Prouerb. 24. *No queras impietatem in domo iusti, & non vastes requiem eius. Tum quia scientia peccati alieni non est aliqua scientia iuris communis, quam omnes acquirere teneantur, sed cuiusdã particularis facti, ad quam idcirco procurandam non nisi ii tenentur, quibus peculiariter incumbit ex officio cura aliorum; vt neque ad indagandam necessitatem corporalem proximi. Tum denique, quia esset priuatis hominibus planè intolerabilis ea obligatio, cum sint innumerabiles proximi, de quibus æquè inquiri posset, num aliquo peccato sint obstricti, quod correptione indigeat. Accedit huc etiam expressa auct. ritas S. Augustini serm. 26. de verbis Domini, vbi præceptum illud correptionis explicaturus ita sermone suum inchoat; *Admonet, inquit, nos Dominus noster non negligere inimice peccata nostra; non querendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Et ita docet Suarez disp. 8. n. 1. Hurtadus de Médoza tom. 2. disp. 162. sect. 6. §. 48. Caspensis in cursu Theol. tom. 2. tract. 17. disp. 6. sect. 4. n. 9. Franciscus del Castilho in 3. Sentent. tom. 2. disp. 6. de Correct. quæst. 4. n. 3. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 10. punct. 2. Vnde ex his Sanchez in Opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 1. n. 3. & 4. rectè infert. scientem per auditum, vel rumorem, vel per signa dubia crimen fratris, non teneri corrigere; quia non certò scit. Nota tamen, cum Soto, pensandas coniecturas facientes rem probabilem, & conditiones personarum, atque ita aliquando (ait) licet insinuare fratri crimina sua, de quibus rumor spargitur, dummodo fiat prudenter, in Prelatis tamen sufficit suspicio, vel dubia cognitio: ij enim tenentur sub mortali inquirere peccata subditorum ad correptionem faciendam, & ex officio super gregem suam vigilare, & in alijs etiam dubijs occurrere; quamuis in priuata persona, vt corripiat, requiratur communiter supradicta moralis certitudo.***

2. Nec obstat quod tenemur dare elemosynam corporalem ei, de quo dubitamus an ea indigeat: ergo tenemur etiam corripere eum de quo dubitamus an peccarit. Secundò quia charitas exigit vt non relinquamus proximum, in periculo ruinæ, quando dubitamus an peccauerit. Ita cum quibusdam alijs. Atriauis in 4. tract. de correptione fraternali §. Sed hæc opinio, 3. Sed hæc argumenta ad summum probant, charitatem

rem postulare, vt, quando dubitamus, aut saltem probabiliter suspicamur proximum esse in aliquo graui malo aut periculo, conemur eum eruire, quando id faciliè, & sine vilo incommodo alicuius momenti fieri potest. Secus est quando id fieri nequit sine graui incommodo, & præsertim si sit maius periculum, ne ei noceam, quam spes vt prosim; tunc enim, vt patet ex dicendis, teneor correptione abstinere. Illud autem in præsentì casu accidit, quoties est dubium, aut etiã vtrimque æquè probabile, an proximus illud peccatum comiserit, quòd in eo videtur reprehendum.

4. Patet autem hoc, Primò, quia correptio est per se odiosa, & communiter dura ei, qui corripitur, & plurimè valde difficile est eam præsertim ab æquali, æquo animo ferre; vnde nisi valde prudenter fiat, faciliè correpti animum exasperat, maxime si hic de facto sit innocens, aut credat alteri non consistere de suo peccato; tunc enim faciliè eum habet pro calumniatore, aut saltem nimis suspicioso.

5. Probatur Secundò, quia si corripiamus proximum, quando est dubium an peccauerit, exponimus nos periculo, ne aut simus calumniatores, aut nimis suspicaces, aut saltem ne tales ab alijs arguamur. Item exponimus alterum periculo, ne vehementius in nos commotus grauius peccatum committat, quam sit illud de quo volumus eum corrigere. Hinc etiam *Ecl. 1. 1. optinè nos monet; Prusquam interruas* (id est antequam reum citò exploraueris) *ne videris quemquam, & cum interrueris, corripe iusti.* Et ob hanc etiam causam *Prouerb. 24. nomen me querere iniquitatem in domo iusti, vt scilicet dicamus nos multò minùs eam tanquam inuentam debere arguere, antequam constet eam ibi esse. Si enim valde odiosum, idè quod communiter illicitum, priuatum inquirere an alius peccauerit, multò magis odiosum est ipsum arguere fratrem tanquam peccatorem, antequam hoc ei constet. Et hæc omnia docet *Coinch disput. 28. dub. 6. num. 88. cui ego licet libere adhæream in tribus tamen casibus loquendo de priuatis personis; puto sufficere suspensionem, & dubiam cognitionem. Primus quando tale est peccatum quòd posset redundare in præiudicium, & detrimentum tertij, quale esset peccatum Hæresis, proditiõnis Principis, Ciuitatis, &c. Secundus, quando inuicem proximi mors; tunc enim non modò à peccato posset correptio liberare, verum etiam à morte æterna. Tertius, quando esset spes probabilis, proximum non ad eò agrè laturum, si sub dubio admoeratur. Cautè tamen corripens in his Casibus obicere crimen tanquam certum, quia mendacium est intrinsecè malum, & non sunt faciendæ mala, vt eueniant bona. Et nostra sententiam tenet etiam *Tullench in Decalogum, tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 1.***

6. Vnde Lorca in 2. 2. disp. 44. n. 4. rectè obseruat correptionem fraternali humano more, & regulariter non posse prudenter & vtiliter fieri, nisi quando certò constat peccatum: quoniam redargutio peccati pudorem ingerit, & molesta est, & innocenti iniuriola; nocenti verò, cuius peccatum non est manifestum, est grauis, & onerosa. Quare qui in dubio corripit, se potius exponit nocendi periculo, quam proficiendi, & magis ostendere videtur nimiam sollicitudinem, & suspitionem, quam feruorem charitatis. Præterea in dubio potius præsumendum est pro iustitia fratris quam contra. Quinimò, non solum quando est formale dubium suspendens iudicium, sed etiam si sit probabilis coniectura, & opinio peccati commissi, dummodo non sit moralis, & humana certitudo, qualem exiunt Authores allegati, neminem credo obligati ad corripendum, nisi fortè Prelatos ratione officij. Ita Lorca, & ego. Sed de hac quaestione * infra etiam redibit sermo.

RESOL. XV.

An in dubio teneatur quis adhibere Correctionem Fraternali, maxime quando dubium est, an Correctio nocitura, vel profutura sit.
Et quid, si peccatum sit dubium? Ex p. 4. tr. 3. Ref. 72.

§. 1. **R**espondeo quod qui dubitaret an correctio profutura esset delinquenti, si certus esset saltem non obfuturam, teneatur eam adhibere, non autem si insimul dubitaret an esset nocumentum allatura. Ita Iacobus Granado in 2. 2. D. Thomae controversiis, 3. tract. 1. 2. disp. 1. num. 6. & alij. Veram Filiucius ubi infra num. 135. in casu quo contempso esset nocumentum allatura, & eligendum id quod habet maiorem rationem boni, & ideo in articulo mortis, quando peccatum est publicum, vel scandalosum, docet adhibendam esse correctionem, etiam si timeatur, quod corrigendus deterior euadat.

2. Sed quid dicendum, si peccatum sit dubium, an in tali casu quis teneatur correctione adhibere? Respondetur privatam personam id facere non debere, pertinet enim ad Superiorem, nisi forte in tribus casibus. Primus, quando tale esset peccatum, quod posset redundare in notabile prauidium & detrimentum tertij, quale esset peccatum haereticis, proditoris Principis, ciuitatis, &c. Secundum, quando immineret proximi mors, tunc enim non modo a peccato posset correptio libera, verum etiam a morte aeterna. Tertius, quando esset spes probabilis proximum non admodum egrè laturum, si in dubio admoneretur. Ita Filiucius tom. 2. tract. 28. cap. 6. num. 133.

RESOL. XVI.

An in dubio teneatur quis adhibere Correctionem? sed difficultas est, quando dubium est, an correctio nocitura, vel profutura sit?
Et quid, si aequo probabile est, quod nocebit Correctio, ac quod proficiet? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 22.

§. 1. **S**uppono vt dictum est correctionem non requirere spem omnino certam, sed suffice e probabilem. Ita D. Thomas in 2. 2. quaest. 33. art. 2. ad 1. & alij communiter: quod si probabiliter tibi persuades nihil effecturum per correctionem, non teneris illam apponere: ita expresse docet Valent. 2. 2. quaest. 10. disp. 3. parte 2. §. tertia circumstantia, pag. 657. cum Richardo 4. disp. 19. art. 2. qu. 1. & Dur. ibidem, quaest. 3. art. 3. & aliis communiter, quia tunc cessat finis intinsecus correctionis, saltem in prudenti aestimatione: neque enim ad actionem inutilem obligatio esse potest.

2. Sed difficultas est quando dubium est, an correctio nocitura, vel profutura sit. Ad hanc quaestionem sic respondet Lorca in 2. 2. disp. 44. Dubium est, an in dubio; vtrum correctio proderit teneatur corrigere? Caietanus in summa, verbo Correctio, affirmat, non vrgere praecipuum hoc, nisi vt minimum probabiliter credamus, profuturam esse correctionem. Idem indicat S. Thom. art. 2. illis verbis: Quando aliquis praesumit probabiliter quod possit aliam per suam correctionem a peccato extrahere. Communis tamen resolutio est cum Adriano §. Alter ergo Soto quaest. 2. conclus. 4. Navar. cap. 24. num. 12. & aliis, distinguendum esse. Vel enim du-

bia est utilitas, & certum & securum, nullum imminere nocumentum illius, vel alterius; & tunc obligat correptionis praecipuum. Ved dubia est utilitas, & dubium etiam, an aliquod graue nocumentum eius, vel alterius sequatur, & tunc non licet corrigere. Prima pars huius assertionis palam tradita est ab Augustino, in cap. Si quis autem, citato. vbi dicit: *Facis tibi poenitentiam, quia nescio, an tibi prodero; si enim scirem non prodesse, non te admonerem; non inquit: Quia certo scio profuturum, sed: Quia nescio an prodero. Et ratione probatur. Quoniam contra charitatem est, proximum in periculo salutis relinquere; cum ex remedio nullum inconueniens timere potest. Confirmatur. Quando medicus, qui dubius sit de utilitate medicinae, securus tamen, nullo modo nocituram tenetur exhibere. Confirmatur praeterea. Quia si expectanda esset certa spes utilitatis, raro aut vix vnquam occurreret obligatio huius praecipui & facile posset contemni. Quando ergo dicitur, necessariam esse spem emendationis, intelligendum est potius in sensu negante, quam affirmante: id est, vt non sit desperatio fructus, & probabilitas inutilitatis.*

3. Secunda pars manifesta est. Quia si timeretur aliquod nocumentum in dubio utilitatis, maius periculum subest corrigendo, quam omitendo: quia si corrigas subest periculum perseuerantiae in eodem peccato, & vltioris damni, si omittas, solius perseuerantiae: Est tamen aduertendum, nocumentum illud debere esse aut spirituale, aut ten pora & magni momenti: nam si sit temporale leue, postponendum est, quamuis esset certum, & exequenda est correctio. Affirmant etiam nonnulli, omitti posse correctionem, quamuis certo speretur utilitas correcti, si timeatur magnum nocumentum spirituale, vel temporale Reipublicae, vel alterius; quod aliquando evenire poterit, raro tamen. Huculque Lorca, cui etiam Adde Villalobos in Summa tom. 2. tract. 4. disp. 3. num. 4. Valentiam romo 3. disp. 5. quaest. 10. puncto 2. Coninch. disputat. 28. de Charitate dub. 6. num. 92. qui cum Bannez, & Adriano optime excipit cauum, quo peccans cessante correptione omnino crederetur in peccato suo moriturus, vt si mors ei inisset, tunc enim quia extremum imminet periculum, non solum aeterni supplicij, sed etiam infinitorum, & grauissimorum peccatorum, quae talis damnatus tota aeternitate committat, extrema etiam tentanda sunt: sicut etiam aegro prudenter datur periculosa medicina cum aliqua spe salutis, quando alias eius desperata est salus.

4. Igitur in dubio nocumenti, vel fructus, non est, vnde correctionis obligatio oritur; quae ad fructum, vt ad finem tendit, quae doctrina, vt bene aduertit Valentia supra vera est, etiam si minus dubites de correctionis emolumento: sufficit enim si de nocumento dubites, vt obligatio cesset. Nocumentum voco non aliquam tristitiam, merorem vel iram cum aliqua leui culpa, quia haec non reputantur vt nocumenta, comparatione fructus ex correctione sperati. Bene aduertit Suarez disp. 8. de Charit. sect. 3. num. 5. nocumentum, quod debet timeri est graue damnum in correcto, scilicet nouum peccatum graue, vel noua in peccato obstinatio, de quo fit correctio.

5. Aduertit tamen Valentia supra parte 2. pag. 675. §. modo altero: cum Adriand, & Caietano, Dubius de profectu correctionis, certus tamen non obfuturam tenetur corrigere, sicut medicus tenetur medicinam aegroto adhibere, de qua certus est non obfuturam, sperat tamen etiam sub dubio profuturam. Et omnia supradicta docet etiam Castus Palaus romo 1. tract. 6. disputat. 3. puncto 4. num. 4. & sequi. cui adde Bañez in 2. 2. D. Thomae quaest. 33. art. 2. dub. 4.

dub. 4. vbi circa præsentem quæstionem vitur tribus Conclusionibus. Prima Conclusio est: Si dubito, an frater emendabitur, vel non; ita tamen quoddam magis probabile est, quoddam mea correctio nocebit proximo, tunc deo non corrigere. Secunda Conclusio. In eodem casu si certus sum, quoddam mea correctio non nocebit; sed poterit prodesse, tunc teneor corrigere. Probat. Quoniam in simili euentu obligaret dare elemosinam corporalem indigenti, cui potest prodesse, & non obesse, ergo multo magis in prædicto casu. Et confirmatur exemplo. Quia medicus tenetur applicare medicinam infirmo, de qua certus est, quoddam poterit prodesse. sic D. August. cuius verba habentur de Pœnit. d. 7. can. *Si quis autem*, ait, *Do tibi penitentiam. quia nescio, an tibi proderit, vel non. Nam si scirem, non tibi prodesse, non tibi darem, non te admonerem, non te tererem.* prædicta conclusio maxime habet verum, quando proximus est in articulo mortis. Tertia conclusio. Quando sum in dubio æquali, an mea correctio proderit, vel nocebit, valde probabile est quoddam non teneor admonere. Et hoc est quoddam sentit Caietanus meo iudicio. Et propterea ponit ille exemplum, quando non cognosco corrigendum, neque scio ingenium hominis. Ratio huius conclusionis est: Quia expono me periculo amplius scandalizandi illum, & patiendi iniuriam ab illo, ergo pro tunc melius erit, & tutius suspendere correptionem: Conclusio tamen intelligenda est extra casum extremæ necessitatis. vt si iam proximus est in periculo mortis, tunc tenebor illum corrigere, etiam si probabiliter timeam, quoddam mea correctio nocebit ei; dum modo sit probabile, quoddam poterit prodesse. Ita Bannez.

6. Sed circa præsentem questionem ne deferas etiam videre Franciscum del Castillo in 3. sentent. tomo 2. disp. 6. de Correct. quest. 4. num. 7 & 8. & Gasparem Hurtandum disp. 6. de Correctione, diff. 7. afferentes, quoddam si est æquè probabile quoddam correctio nocebit, ac quoddam proficiet, tunc non tenemur corrigere. Si verò est minus certum, scilicet, si sit dubium quoddam nocebit, & magis certum, scilicet si sit probabile, vel moraliter certum quoddam proficiet, tunc tenemur ad correctionem; vide rationes penes ipsos. Vide etiam circa præsentem quæstionem Trullench in Decalog. tomo 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 7.

RESOL. XVII.

An teneamur corrigere aliquem in dubio an Correctio sit profutura, vel obfutura? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 94. alias 93.

Sup. hoc supra in Ref. 7. S. Agidius Trullench, in Ref. 15. & 16. d. § 2.

§. 1. **N**egatiuè respondeo cum Villalobos in sum. tom. 2. tract. 4. diff. 3. num. 4. vbi sic ait. *Aduertase que en caso de duda si mi correccion ha de approuechar, o dañar, es muy probable, que no tengo obligacion de amonecer al hermano, como dize Bañez, y Caietano: el exemplo es quando no connozo al que he de corrigir, ne su condicion, porque me pongo a peligro de escandalizarle, y que me diga mil pesadumbres, y pegue mas en esso, que en lo otro, salvo si estuuiese in articulo mortis. Ita ille. Vnde ex his tollendi sunt scrupuli ab illis, qui volunt corripere aliquos per plateas ciuitatis blasphemantes: nam in tali casu, non tenentur ad præceptum correctionis, cum nesciant naturam, & conditionem talium personarum, & ideo ait Tannerus 2. 2. disp. 2. quest. 5. art. 4. num. 87. maior est obligatio in tali casu præcepti negatiui de non nocendo proximo, quam affirmatiui de commodando.*

RESOL. XVIII.

An teneamur adhibere Correctionem, cum adesset periculum nostri damni, & incommodi graui? Et si leue dumtaxat immineret, an teneamur? Et quid, quando proximus est in peccato mortali, & nullum aliud est tempus, in quo possit adhibere Correctio, cum ex hypotesi sit iuxta iam mortuus? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 26.

§. 1. **R**espondeo negatiuè; nam vna ex conditionibus necessariis ad correctionem fratris nam est, vt nobis eam adhibentibus non immineret periculum vitæ, famæ aut alterius incommodi: si enim imminet, cum nos ipsos debemus magis diligere, quam proximos, certum est nos non teneor eam adhibere: quamuis secundum Sotum, extrahendus sit casus necessitatis extremæ spiritualis, vt pote quando proximus est in peccato mortali, & nullum aliud est tempus, in quo possit adhiberi, cum ex hypotesi sit iam iam moriturus, & nemo est qui possit eripere præter nos, tunc ad eam cum isto periculo tenemur: hoc enim ordo charitatis, vt supra ostendimus, necessariò postulat: quando verò alij sperant, qui possunt corrigere, vel speratur correptionis tempus opportunius, nemo in tali necessitate cum periculo vitæ, famæ, aut fortunarum tenetur. Dicit verò in conclusione, aut grauis alicuius incommodi: quia si dumtaxat leue nobis immineret ex eiusmodi correptione, & alia ex parte notabile bonum speraretur, esset ipsa necessariò adhibenda. Et tenet apertè S. August. lib. 1. de Ciuit. cap. 9. vbi docet, eos qui ob similem metum desunt corrigere peccatores, etiam eo casu quo sperant aliquos sua correptione emendandos, non peccare damnabiliter; quamuis insinuet eos quandoque peccare venialiter, quod facillè potest intelligi casu, quo ipsi illa mala minime prudenter timent, aut quando mala, quæ timentur non sunt ita graua: nam de eiusmodi etiam timore apertè ibi loquitur. Probat, quia extra casum extremæ necessitatis non teneor cum tanto meo damno proximi salutem procurare. Et ita tenet Hurtadus vol. 2. disp. 162. sect. 5. §. 53. Trullench, in Decalog. tomo 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 9. Calpenius in Cursu Theol. tomo 2. tract. 17. disp. 6. sect. 1. num. 12. Sanchez in Opusc. tomo 2. lib. 6. cap. 2. dub. 3. num. 7. Duuallius in 2. 2. tract. de Correctione, quest. 9. art. 4. & alij communiter. Sed difficultas de extrema necessitate proximi, quia est satis ardua, latius examinanda est: idèd quæro,

RESOL. XIX.

An in extrema necessitate proximi teneamur illum corrigere cum proprio vitæ periculo, vel cum graui periculo amittendi honorem vel statum? Ex quo etiam deducitur, an quis teneatur cum periculo vitæ baptizare infantem in extremo vitæ? Et quid in dicto casu de matre grauidâ: an teneatur permittere se secari, vt fetus baptizetur? Et an adulto, cui difficilis est contritio, tamen est possibilis, cum periculo vitæ obligatus quis sit Sacramenta ministrare? Ex p. 7. tr. 2. Ref. 27.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Turrianus in 2. 2. q. 1. Charit. disp. 28. dub. 6. num. 124. & 126. Duuallius in 2. 2. tract. de correct. quest. 9. art. 4. Maldonatus in 2. 2. quest. 33. art. 3. & Bañez in 2. 2. quest. 33.

33. articulus, dub. 4. conel. 3. cuius verba hic per extensum apponam, sic enim asserit: Pro decisione huius difficultatis notandum est, quod necessitas spiritualis duplex est: Altera simpliciter extrema & ultima, quando scilicet proximus est in periculo finendi vitam in peccato mortali, ubi incurrit malum irreparabile in aeternum. Altera est necessitas spiritualis non ultima & extrema, quamvis sit grauis necessitas, & grauior & grauior, secundum quod existens in peccato mortali est minus reparabilis, nihilominus habet tempus poenitendi.

2. Hoc supposito sit prima conclusio. Quando proximus est in necessitate spirituali secundi generis, quilibet tenetur corrigere illum cum aliquo detrimento boni temporalis. Hæc conclusio est communis sententia, & probatur ex ipso ordine charitatis. Quoniam alias si nunquam tenetur homo pati aliquale detrimentum pro reparatione vitæ spiritualis proximi, non plus diligeret vitam spirituales proximi, quam bona sua temporalia. Et confirmatur à simili. Quia vt supra diximus, aliquando tenetur homo citra necessitatem facere elemosynam de illis quæ pertinent ad suum statum, quando est grauis necessitas in proximo. Ex quo sequitur per bonam consequentiam, quod Elemosyna spiritualis obligat citra necessitatem extremam proximi cum aliquo detrimento boni corporalis. Probatur consequentia. Quia si corporalis elemosyna obligat cum detrimento corporali etiam proprii status ad subueniendum temporali necessitati, multo magis elemosyna spiritualis obligabit cum aliquo detrimento.

3. Secunda conclusio. In eadem necessitate spirituali homo priuatus non tenetur exponere vitam corporalem pro vita spirituali secundi generis: imò nec tenetur corrigere proximum cum graui periculo amittendi honorem aut statum suum, sed poterit differre in aliud tempus, aut omnino dimittere. Ratio huius est. Quoniam videtur durum, vt quo tempore proximus habet in sua potestate facile reparare suum malum, teneatur quisque perdere propriam vitam corporalem, quæ reparari non potest. Non itaque arbitramur, illum articulum esse necessitatis tantæ, vt teneatur homo cum tanto detrimento succurrere proximo. Oportet enim singula singulis comparere, & proportionabiliter ordinare bona temporalia ad spiritualia proximi. Nam si necessitas proximi spiritualis in suo genere est communis necessitas, tunc oportebit communia & leuiora pericula temporalia subire pro dilectione fratris corrigendi. Si autem necessitas fuerit leuior aut grauior, tunc proportionabiliter maius & maius periculum subire tenebor.

4. Vnde sit tertia conclusio. Quilibet tenetur exponere vitam corporalem periculo certo pro vita spirituali proximi, quando proximus est in extrema necessitate primi generis. Hæc conclusio probatur argumentis secundæ opinionis, & in materia morali videntur mihi esse demonstrationes. Hanc asserit D. Thomas, *Opusc.* 18. capit. 14. vbi ait; quod debemus magis diligere vitam spirituales proximi, quam proprium corpus. Vnde (inquit) est de necessitate præcepti in articulo necessitatis ponere vitam pro salute spirituali proximi, vt si quis decipitur ab hæreticis, & trahitur in errorem contra fidem, tenetur is, qui videt, si potest, illi succurrere, docere illum, & admonere cum periculo vitæ propriæ Et confirmatur. Quia valde rationale videtur, quod supremum bonum temporale, quod

est vita, exponatur periculo pro vltimo bono spirituali, quod est vita æterna. Præterea confirmatur exemplo. Quoniam etiam si verum sit in communi loquendo, quod debeo diligere magis vitam corporalem proximi, quam bona mea temporalia; tamen non contingit regulariter, quod teneat ego exponere totam meam substantiam pro seruanda vita proximi. Neque quilibet putabit mortaliter peccare eum, qui pro seruanda vita proximi corporali non obtulit periculo omnia sua temporalia. Ita nunc dicimus, quod quamuis per se loquendo vita corporalis sit exponibilis periculo pro vita spirituali fratris; tamen eueniunt tam variæ circumstantiæ, vt vix homo priuatus teneatur mori pro corrigendo fratre, & reparando ad vitam spiritualem. Poterit enim singularis homo admonere Episcopum vel Prælatum, vt ipse corrigat. Et præterea vt vita mea corporalis ordinetur ad bonum meum spirituale, scilicet ad agendam poenitentiam, vel crescendo in charitate, & ex alia parte non sum certus de mea dispositione spirituali, possum seruare vitam meam, & prouidere saluti animæ meæ. Vnde D. Thomas, in 3. sentent. dub. 29. articulus. 8. *quæstione.* 2. ad secundum ait; Cum scimus fratrem posse liberari per mortem corporis à morte animi sine periculo animæ nostræ, tunc ponere animam pro fratre non est perfectionis, sed necessitatis; ac si diceret, non est in consilio, sed in præcepto. Hucusque sapientissimus Báñez.

5. Sed hæc sententia nimis rigida videtur esse Petro de Lorca in 2. 2. *Diui Thomæ, disputatio.* 45. numer. 7. vbi sic ait. Veruntamen hæc sententia rigida est, & quamuis verè assumat, aliquando esse debitum præferre bonum spirituale proximi bono temporali nostro, sed nimis seuerum apparet, hinc deducere pro correctione fraternali subeundam esse mortem, vel graue dispendium temporale. Nam vt supra disputauimus *disputatione* 28. *membro* 2. non in quocumque euentu præferenda est salus spiritualis proximi vitæ nostræ sed solum quando extremè indiget, & aliter non potest euadere damnationem; & semper seruandum est, vt in compensatione boni spiritualis proximi ad bonum temporale nostrum, seruetur proportio inter vtrumque bonum, ita vt extrema necessitas proximi præferatur extremo nocimento temporali, grauis graui, & leuis leui; pro communi autem necessitate spirituali non cogimur pati extremam, vel grauem temporalem. Necessitas verò, qua proximus indiget correptione, nunquam est extrema, nec grauis. Quoniam nec correptio est tam efficax medium, vt habeat infallibile effectum; nec ita est necessaria, vt sit penitus necessaria: quoniam per correptionem solum retrahitur homo à peccato, morali suasionem; hanc autem semper habet in sua potestate cum diuino auxilio, & idèd necessitas correptionis nunquam erit necessitas simpliciter sed moralis, & probabilis; atque idèd nunquam potest censeri extrema, nec grauis, vt cum tanto dispendio fieri debeat. Ita opinatur Sotus *supra, conclusione* 7. Fauet etiam Navar. *cap.* 24. *numero* 12. & recentiores interpretes S. Thomæ; quamuis Navar. & ipsi existiment, correptionem esse extremè necessariam, & debitam, etiam cum dispendio vitæ; sed non assequor, in quo casu id contingat. Ita Lorca in quibus verbis vt vides acriter defendit nunquam dari extremam necessitatem correctionis, siue peccator ex malitia, siue ex ignorantia, aut passione

peccet, cum semper diuinis auxiliis adiutus possit à peccato surgere, & vitam consequi. Quare si non consequatur, ipsi tribuendum est; non omitrendi corrigere, cum ob periculum vitæ excusetur.

6. Deinde hunc casum de necessitate extrema, rarò, vel nunquam contingere existimat Villalobos in *Summa* tom. 2. tract. 4. difficult. 5. n. 6. nisi quando proximus laborat ignorantia vincibili alicuius necessarii ad salutem, & te de illius notitia rogaret: sic enim ait. *Si se diese caso en que vno estuiesse en una necesidad extrema spiritual, que prouiesse de fragilidad, passion, o ignorancia y se creyese probablemente, que auia de apronechar la correccion, obligacion tendria el hombre particular de hazerla aunque fuesse con peligro de vida, honra, o hazienda. El fundamento es, porque conforme al orden de caridad, tenemos obligacion de amar mas la vida espiritual del proximo, que la nuestra corporal, quando aquella no tiene otro remedio, sino que esta en estrema necesidad, y coligese de las palabras de san Iuan: Et vos debetis pro fratribus animas ponere, id est, vitas. Dezimos en la conclusion, si se cree probablemente que ha de apronechar, porque en duda, no ay obligacion como diez e Aragon, contra Adu. porque aunque la vida espiritual es de mas precio que la corporal, mas la certidumbre de perder la vida propria igualmente es la mala, con la duda de perder la espiritual agena. El caso desta conclusion rarissimas vezes podria acontecer: porque como dize Soto, si el peccado procede de malicia, o passion, el mismo se puede corregir, y si de ignorancia inculpable, no pecca, y si es vincible, el esta obligado à buscar quien le enseñe; y assi solo parece podria haueer lugar, quando fuesse el peccado de ignorancia vincible de alguna cosa de las que tiene obligacion a saberla el y preguntasse: porque entonces, auia obligacion de enseñarle con peligro de vida.] Ita ille.*

7. Immo Sanchius in *selectis disp.* 10. num. 10. Sotus de secreto, mem. 6. quest. 2. post. 6. conclus. & R. l. 3. §. penult. & signanter in tom. 1. tr. 1. Ref. 49. & in alijs eius primis & tertiaz not.

7. Immo Sanchius in *selectis disp.* 10. num. 10. Sotus de secreto, mem. 6. quest. 2. post. 6. conclus. & R. l. 3. §. penult. & signanter in tom. 1. tr. 1. Ref. 49. & in alijs eius primis & tertiaz not.

8. At quidquid sit de hac opinione, optimè obseruat Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disput. 3. puncto 6. n. 4. adulto cui etsi difficilis sit contrito, est tamen possibilis, non videris cum periculo vitæ obligatus illi Sacramenta ministrare, & multò minus correctionem, quia solùm grauius, & non extremè indiget hoc medio correctionis. Et idè hanc sententiam contra Bañez, & alios tenuit absolutè Emanuel Sà, correctus, in ver. *Correctio*, num. 2. vbi docet cum Victoria priuatum non teneri cum periculo vitæ corripere. Et Gregorius de Valentia *tomo 3. disput. 3. quest. 10. punct. 2.* affirmat ex malitia peccantem non teneri cum periculo vitæ corripere. Et hæc sunt placita Doctorum circa præsentem difficilem quæstionem. Vide etiam Trullench in *Decalogum* tom. 1. lib. 1. capite 5. dubio 14. numero 11. & Reginaldum, *tomo primo, libro quarto, cap. vigesimo quinto, num. 358. & sequ.*

An saltem Episcopi, Prælati, & alij Superiores, teneantur in extrema necessitate proximi cum periculo vitæ, correctionem adhibere?

Idem dicendum est de Magistratibus, quod attinet ad suum munus.

Idem de sacris Oratoribus.

Et quid, si proximus non sit in extrema necessitate, sed in graui? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 28.

§. 1. **R**espondet affirmatiuè ex Bañez, Soto, Valentia, & Turriano, Castrus Palaus *tomo 1. tract. 5. diff. 3. punct. 9. num. 4.* vbi ait: Excipiendi tamen sunt ab hac doctrina Prælati superiores; & omnes illi quibus officio cura subditorum incumbit, qui graui necessitate intercedente tenentur vitam corporalem pro salute spirituali subditorum offerre, vt latius præ dictum est de ordine charitatis. Ita ille; quod adeo verum est, vt aliqui extendant hanc obligationem aliquando etiam in graui necessitate, & idè Villalobos in *Summa* *tomo 2. tract. 4. difficult. 5. num. 3.* sic ait. Los Prælados tienen algunas vezes obligacion de corregir à los subditos, aunque no esten en extrema necesidad de su correccion. Esto lo tienen Soto, Bañez, con San Thomas, Aragon y otros. El fundamento es, porque los Prælados tienen obligacion à mirar por los subditos, no solo de caridad, sino tambien de justicia; y assi quando el subdito tuuiere necesidad graue de su correccion estarà obligado à poner la vida, conforme à lo que dixo Christo: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mas ha se de entender, quando probablemente esperan, que dee apronechar, que de otra manera seria imprudencia. T dize Aragon, que esta obligacion que tienen los prælados à corregir con peligro de la vida, no es por razon de correccion fraterna, sino de officio, y justicia. sic ille: citat Petrum à S. Ioseph. in *Idea Theol. mor. lib. 3. cap. 11. resol. 6.* & Malderum in 2. 2. quest. 33. art. 3.

2. Nec deseram hic apponere verba Hurtadi de Mendoza, *vol. 2. disput. 162. sect. 7. §. 60.* sic asserentis. Dico tertio: Episcopi, Prælati Religiosorum, & similes animarum Pastores tenentur cum proprio vitæ discrimine adhibere diligentiam quam possint, vt vitent peccata publica, & occulta hæc est omnium Patrum Theologorum doctrina, quam Christus Dominus verbo docuit, & exemplo: sic discriminauit Pastorem mercenarium, & fugituum à vero & bono. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Mercenarius autem, qui non est pastor, &c.* Ratio est; quia huiusmodi Pastores pacificantur cum Christo Domino, curam, & sollicitudinem gregis, pro qua tam multa bona accipiunt à Christo. Idem dico de Magistratibus, quod attinet ad ipsorum munus. Idem de sacris Oratoribus, quoniam hi non ex iustitia, vt Prælati, & Magistratus. Hinc coniciant, vtrum suo muneri satisfaciant, qui tota Diocæsi, & Republica incendio peccatorum flagrante, pacatè domi suæ dormiunt, qui sui officij legibus tenentur omnes angulos conpicere, ne quod peccatum lateat in tenebrarum latebris. Ita Hurtadus.

RESOL. XXI.

An Prælati, & Magistratus teneantur aliquando sub peccato mortali corrigere peccata venialia?

Et an hoc etiam intelligatur de Episcopis?

Et an etiam quisvis privatus præferri sit membrum illius Religionis, teneatur ad huiusmodi correctionem?

Et an Prælati Religionum, qui sunt custodes ceremoniarum Religionis, teneantur contrarias consuetudines reprehendere, & abolere, si possint? Ex p. 7. tr. 3. Res. 8.

§. 1. Respondeo affirmatiuè cum Lorca in 2. 2. D. Thoma, disp. 45. num. 4. ubi sic ait. Si sermo sit de peccatis venialibus, manifestum est, non esse obligationem corripiendi sub reatu peccati mortalis; neque enim virgiorum esse potest obligatio vitandi peccatum alterius, quam vitandi peccatum proprium. Sotus tamen loco alleg. conclus. 3. asserit Prælati Religionum nonnunquam esse peccatum mortale negligere correctionem venialium, tunc scilicet, quando ex hac negligentia imminuit disciplina regularis. Nam ad decorem, & perfectionem religionis multæ obseruantia instituta sunt, quæ non obligant singulos nisi ad culpam venialem, vt silentium, & ieiunia; quæ tamen si defecerint, graue detrimentum pateretur religio; & cum Prælati incumbat conseruare religionis integritatem, si negligant, vel correctione fraternali, vel aliis modis hæc infirmitas inuoluita seruare, in re magni momenti desunt suo muneri, & peccatum mortale incurrunt. Ita Lorca, cui adde Trullench, in Decal. tomo 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 5. Palauum ubi infra. Duallium in 2. 2. tract. de Charit. quest. 9. art. 2. Caspensem in Cursu Theol. tomo 2. tractat. 17. disp. 6. sect. 1. num. 8. Sanchez in Opusculo tomo 2. lib. 6. cap. 2. dub. 2. num. 8. Suarez disp. 8. sect. 2. num. 6. Torres in 2. 2. tomo 1. disp. 86. dub. 2. & Coninch disp. 28. dub. 3. num. 24. ubi extendit obligationem ad quemlibet priuatum; sic enim asserit. Certum est superiorem Religiosorum teneri in suis subditis corrigere peccata venialia, quando aliàs imminet periculum ne disciplina religiosa magna ex parte dissoluitur, quia tenetur quantum potest dare operam, vt hæc integrè seruetur. Imò credo certum esse quemuis etiam priuatum, præsertim si sit membrum illius Religionis, teneri ad eiusmodi correptionem, quando commodè potest, & sperat fructum; quia talis dissolutio est graue valde malum ipsius Religionis, siue totius communitatis; quod ille ex charitate, & fide, quam debet patri suæ, scilicet ipsi Religioni, tenetur impedire. Ita Coninch.

2. Ratio nostræ responsionis est ista, quia obligatio, non tam est ex præcepto correctionis, quæ bono spirituali proximo attendit, quam ex obligatione officij superioris, quo tenetur religiosam disciplinam conseruare, & nullo modo labefactandam permittere. At ex permissione defectuum venialium, si graues sint, & nociui, solet religiosa disciplina nimium labefactari. Tenetur ergo Prælati hanc diminutionem præcauere; Iudices verò seculares non ita arctantur hac obligatione corrigendi in subditis peccata venialia, nisi defectus essent reipublicæ graue nocentium inferentes.

3. Syndici, visitatores, & alij vices Prælati gerentes tenebuntur Prælatum de defectibus admoneri; & si in hac parte nimium dissimulent, & ex eorum dissimulatione religiosa obseruantia in communitate

labefactari prudenter timeatur, peccabunt grauius. Sicut & Prælati peccaret sciens tales defectus, & non corrigens, cum posset; ita Suarez, & Lorca, & Aegidius supra. Videant modo Episcopi, & Religionum Prælati, quid faciunt, vt suum munus adimpleant.

4. Vnde non deferam hic apponere verba Hurtadi de Mendoza, volum. 2. disp. 162. sect. 8. §. 74. ubi sic ait. Existimo præterea Prælatos teneri grauius ad vitanda venialia peccata subditorum: imò ad vitandas imperfectiones: quia illa in genere moris sunt graue damnum gregis, quem curant. Etenim si quis Religiosus mentitur frequenter, cachinnetur, garrat, epuletur, operiatur veste cultiori quàm constitutiones patiuntur, non propterea grauius peccat. Peccat tamen grauius Prælati id permittens. Sic enim sensum soluitur constitutio religiosa & totus ordo patitur grauem ignominiam. Idem dico de Episcopis, qui tenentur Clericos tenere in officio, ne leuiter se gerant. Magistratus item tenentur leuia peccata castigare, vt furta leuia & similia.

5. Attamen cum Castro Palao tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 3. num. 7. Ex sola dissimulatione cum aliquo horum defectuum, si occulti sint, non existimo Prælatum peccaturum grauius, cum ex illis, vt pote occultis non detur aliis occasio ruina, neque ob illos disciplina religiosa labefactetur, neque ipse religiosus in periculo proximo sit cadendi à statu religioso, vt suppono. Colligitur ex Bonac. disp. 3. quest. 4. punct. 7. asserente peccata venialia non esse corrigenda sub obligatione, nisi fortè talia sint, vt proximè disponant ad mortalia, aut magnum aliis afferant detrimentum. Et Suar. disp. 8. sect. 2. num. 6. circa finem. Tunc maxime (inquit) poterit esse obligatio in Prælato sub mortali corrigendi venialia, quando defectus sint generales communitatis, quod si in communitatem non redundant, neque ex illis salus proximi in discrimine vertitur, non agnosco ex quo capite obligatio corrigendi sub mortali possit oriri. Idem colligitur ex Torres, disp. 86. dub. 2. sine. ubi postquam dixit superiores religionum obligari sub mortali ad reprehendendas consuetudines aliquas contrarias religioni subditorum, Idem dicerem ego de obligatione Prælati ad reprehendendum aliquem fraternali correctione propter aliquod genus peccati venialis nociuum religioni, verb. grat. propter impudica aliqua verba, aut consuetudinem iurandi, aut simile quid, quod religiosum maxime dedecet. Ecce qua ratione ex omnibus his auctoribus constat Prælatum non esse sub mortali obligatum corrigere defectus veniales, nisi tales sint, qui religioni ob malum exemplum noceant. Vide etiam Trullench in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 5.

6. Et tandem pro præsentis difficultate in fauorem magistratum secularium adducam verba Domini Banez in 2. 2. quest. 33. art. 2. dub. 2. ubi sic ait. Ex hoc videtur sequi quod saltem erit veniale peccatum, non corrigere proximum de veniali. Hanc consequentiam concedit Soto, ubi supra de peccatis venialibus, quæ sunt proximo in consuetudine. Nam de aliis venialibus quæ ex fragilitate committuntur, non tenetur homo corrigere fratrem sub peccato veniali: imò addit, quod Prælati, & Governatores Reipublicæ tenentur tales defectus, qui sunt venialia peccata grauiora & consuetæ, expellere à reipublica sub peccato mortali, si possunt. Hoc tamen videtur mihi nimis durum obligare temporales gubernatores ad tantam perfectionem, nisi fortè sint peccata perturbantia pacem reipublicæ, vel abusus qui reipublicam damnificare possint. Et tales solent esse pragmaticæ circa curiositatem vel pretiositatem vestium, quamuis hu-

iusmodi abusus in singulis non sit nisi veniale peccatum. Ceterum Prælati Religionum, qui sunt custodes caeremoniarum religionis, tenentur contrarias consuetudines reprehendere, & abolere, si possint. Quoniam ex huiusmodi consuetudinibus status religionis perturbatur, cum tamen debeat esse commodus ad perfectionem acquirendam. Hucusque Bañez, cui ego libentissime adhæreo.

RESOL. XXII.

An Magistratus, & Prælati teneantur ad correctionem subditorum non solum lege charitatis, sed etiam iustitia?

Et hæc circumstantia, quod Prælati, vel Magistratus negligant supradictam correctionem, an mutet speciem, vel tantum intra eandem speciem notabiliter aggravet, ita ut supradicti teneantur in confessione aperire munus suum Sacerdoti illud ignoranti?

Et an Magistratus, & Prælati in tali casu teneantur ad restitutionem tam stipendij illi parti correspondentis, quam damni inde sequenti? Ex p. 5. tract. 1. 4. & Misc. 2. Ref. 95.

Sup. hoc in §. 11. Ref. seq.

Affirmativam sententiam præter alios docet Coninch de charitate, disputat. 128. num. 70. & Hurtadus de Mendoza in 2. 2. tom. 2. disputat. 162. sect. 4. §. 40. quia Magistratus sæculares pecuniam accipiunt pro exercendo munere; Prælati verò stipendium iurisdictionem & alia commoda temporalia. Hinc infert Hurtadus teneri Prælatos, & Magistratus aperire in confessione munus suum Sacerdoti illud ignoranti, quando in correctione peccaverunt. Secundo infert Magistratus & Prælatos in tali casu teneri ad restitutionem tam stipendij illi parti muneris respondentis, quam damni inde sequenti, quia ipsi fuerunt moraliter causa illius damni, quia Reipublicæ debebant eas actiones quibus malum erat auerendum, & quemadmodum qui iniuste retinet meas pecunias, tenetur de damno emergente; ita qui iniuste retinet eas actiones, tenetur de damno emergente ex ea retentione, quo differunt Magistratus à privatibus. Hi enim non tenentur ex iustitia, & quamvis tenerentur, esset ex conceptu communi ipsius obiecti iustitiæ, non tamen ratione dati & accepti: omne autem malum ortum ex iniusta retentione accepti, tenetur refarcire, qui iniuste retinuit. Ita Hurtadus ubi supra.

2. Non desinam tamen hic adnotare Petrum Lorca in 2. 2. question. 33. artic. 5. sect. 3. disputat. 42. num. 4. contrariam sententiam docere, ubi sic ait. Queritur an obligatio Prælatorum circa correctionem, quæ ex officio oritur, sit solius charitatis, an verò iustitiæ? Caiet. in comment. artic. 2. subtiliter & metaphysicè conatur revocare ad iustitiam. Sed cum actus ipse non sit iustitiæ (correctio enim fraterna, qua talis est, à quocumque fiat, non est actus iustitiæ, sed charitatis) non video quomodo ad iustitiam revocari possit. Nam Prælati debito sui muneris non solum tenentur exhibere subditis iustitiam, sed etiam charitatem. Ex quo sequitur circumstantiam hanc, quod si Prælati sit, qui corrigere negligit, non mutare speciem, videtur autem intra eandem speciem notabiliter aggravare. Sic Lorca, quod idem docet de Magistratibus sæcularibus. Prima opinio est probabilior: secunda est probabilis. Vide me ipsum p. 1. tract. 7. §. resol. 57.

* Quæ hic est in tom. 1. & hic inf. in Ref. seq. §. Sed ego ad medium.

RESOL. XXIII.

An Prælati, & Magistratus teneantur corrigere peccata mortalia ex iustitia?

Ex quo inferitur, quod in confessione Prælati, qui nunglexit salutem proximi, debet se accusare ut ipse, si fuit illi subditus, nisi aliunde Confessorius ad agnoscat.

Et idem dicendum est de Patribus, Tutoribus, Dominis respectu mancipij, non tamen famuli vel salariorum servientis, nisi sit domesticus, & conditionalis? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 9.

§. 1. **A**D hoc dubium variis assertionibus respondet Hurtadus de Mendoza de fide vol. 2. disp. 162. sect. 4. §. 39. & seq. ubi sic ait: Dico Prælati, qui non accipiunt publicum salarium pro suo officio, non tenentur ex iustitia; quia hæc virtus obligatione dati, & accepti.

2. Dico secundo Magistratus & Prælatos, & omnes qui publicum stipendium, aut quasi stipendium accipiunt, tenentur ex iustitia; ita ut non solum non faciendo correctionem peccent contra charitatem; sed etiam contra aliam virtutem specie distinctam. In hac conveniunt omnes fere Doctores, quod atinet ad iustitiam: ita colligitur ex S. Augustino tom. 5. lib. 1. de civitate, cap. 9. ubi asserit, non esse parvam obligationem ad corrigendum errantes privatis, atque Prælati. Ludovicus Viues in commentario id explicat: quia privati tenentur præceptis solius charitatis: Prælati verò iustitiæ, ac reprobant nonnullos peritos Luris, quod censeri erunt hoc præceptum spectare ad solos Prælatos, quia non agnoscunt obligationem nasci, nisi ex iustitia. At Viues rectè probat obligationem intendi in ortu à charitate. Basi 2. quest. 33. artic. 3. dub. 1. conclus. 2. Augusti versus, Secundo est advertendum, P. Valent. disp. 3. questione 10. punct. 3. vers. Porro hæc cum Duns. Soto, P. Suarez, disput. 8. sect. 4. num. 4. & 5. asserit obligationem iustitiæ esse per se notam. P. Luisius, disput. 87. dub. 1. Licet enim censetur non esse hanc propriam iustitiam, admittit tamen eam esse iustitiam præstativam ratione officij, & peccatum esse in diuersa specie, P. Agidius disput. 2. num. 70. estque doctrina certa, & communis quam contra Lorcam probavi: quia Magistratus & Prælati verò stipendium, iurisdictionem, & alia commoda temporalia.

3. Dico tertio: Confessarij, qui non accipiunt publicum stipendium, non peccant contra iustitiam, quia non est inter illos, & penitentes datum & acceptum pro correctione: at si in confessione eam committant, quæ necessaria censetur prudenter; peccant contra religionem eos obligantem ad sacramenta dignè ministranda.

4. Dico quarto Concionatores, & alij, qui nec stipendium publicum accipiunt, nec ministrant sacramenta, non obligantur nisi ex charitate ad correctionem fraternam, nec peccant contra duas virtutes, quia nec iustitia, neque religio, nec fidelitas imponunt obligationem.

5. Hinc inferitur teneri Prælatos, & Magistratus aperire in Confessione munus suum Sacerdoti illud ignoranti, quando in correctione peccaverunt.

6. Non deseram tamen hic adnotare, quod Lorca in 2. 2. D. Thoma, questione 33. art. 5. sect. 4. disput. 42. num. 4. docet obligationem Prælatorum quoad correctionem non procedere ex debito iustitiæ, sic enim asserit. Queritur, An hæc maior obligatio Prælati

Praelatorum, quæ ex officio oritur, sit solius charitatis, an verò iustitiæ. Caietanus in *Commentar. artic. 2. sub-*tiliter, & metaphysicè conatur reuocare ad Iustitiam. Sed cum actus ipse non sit iustitiæ (correctio enim fraternalis, quæ talis est, & à quocumque fit, non est actus iustitiæ, sed charitatis) non video, quomodò ad iustitiam reuocari possit; nam praelatus debito sui muneris non solum tenetur exhibere subditis iustitiam, sed etiam charitatem.

7. Ex quo sequitur circumstantiam hanc, quod Praelatus sit, qui corrigere negligit, non mutare speciem. Videtur autem intra eandem speciem notabiliter aggravare.

8. Sed quæres, ad id intelligendum sit de solis Praelatis Ecclesiæ, vel etiam de secularibus? Respondetur, ad seculares etiam extendi suo modo pro ratione sui officij: nempe cum Praelatus secularis temporaliter præsit, & solum respiciat bonum politicum, & ciuile Republicæ, non tenetur omnia peccata corrigere, sed ea solum, quæ paci & tranquillitati Republicæ, & bono ordini politico aduersantur. Hinc Lorca.

9. Sed ego sententia Hurdadi adhaereo, quam præter illum tenentur Caietanus in 2. 2. *quæst. 3. art. 2. d. 4. Coninch. disp. 28. d. 5. num. 68. & alij, ubi infra.* Suppono enim Praelatum ratione officij sui non solum esse subditorum suorum Superiorem, acquirendo in eos aliquam iurisdictionem, sed etiam constitui eorum spiritualem patrem. Hinc ratione prioris acquirit quoddam ius eos gubernandi, iisque quædam imperandi; & vicissim hi acquirunt in eum ius vt ipse primò bonum commune, deinde etiam cuiusque in particulari pro ratione sui officij procuret. Ad hoc enim eiusmodi officia sunt instituta. & cum hac conditione conferuntur, & acceptantur, atque ita mutua hæc obligatio inter Superiorem, & communitatem nascitur ex quodam quasi tacito contractu, atque ita est obligatio iustitiæ. Ratione verò secundi acquirit nouam quamdam coniunctionem & quasi specialem cognationem cum suis subditis: ex quo fit vt ex virtute Charitatis obligetur longè strictius & appetitiuè magis eos diligere, & eorum bonum procurare, quam alias obligaretur, vt communiter omnes fatentur. Ergo &c. vnde Trull. in *Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 5. d. 15. num. 1.* sic ait Praelati strictius, tum ex Charitate tum ex iustitia, ratione officij obligantur, & hoc ratione officij, ratione cuius tenentur consulere bono priuato subditorum: vnde grauissimæ comminationes illis sunt in sacra Scriptura. Ezech. 33. 34. *Quod infirmum fuit non consolidabit, quod egrotum non sanabit.* Hinc est, vt in confessione Praelatus, qui negligit salutem proximi sui, debet se accusare in specie si fuit subditus, nisi aliunde Confessarius id agnoscat: vnde non satisfacit si tantum dicat, se omisit correctionem, sed tenetur dicere, se esse Praelatum. Ita ille, cui ad Fillium cum tom. 2. tract. 18. cap. 5. num. 127. Castum Palam tom. 1. tract. 6. disp. 3. puell. 7. num. 8. Suarez de Char. disp. 8. sect. 4. num. 3. Torres in 2. tom. 1. disp. 87. d. 1. Valentiam tom. 3. disp. 3. q. 10. puncto 3. & Ioannes Sanchez in *select. disp. 6. num. 9.* id in dicendum existimabat in Patre, Tutore, & Domino respectu mancipij, non tamen famuli ob salariam seruientis, quia mancipium est sub dominio Domini, & ad eius curam pertinet actiones mancipij dirigere, non tamen famuli. Sed Trullenchi ubi supra putat, quod si famulus sit domesticus, contubernalis, idem dicendum esse ac de mancipio; at Sancio videtur adharere Palaus loco citato, vbi etiam sic addit. Quod verò dicit Villalobos debere dominum à suo seruitio famulum expellere, si videat domi occasionem habere peccandi, laudo si faciat, obligationem tamen

Tom. V. 11.

non agnosco, præcipue si Domino utilis sit famulus, quia non tenetur occasionem peccatorum cum suo damno remouere, & fortè expulsius peccabit. Ita Palaus, & ante illum Aragonius in 2. 2. *quæst. 23. art. 3. ad finem.*

10. Ex his omnibus autem infert Duuallius 2. 2. *D. Thome, tract. de Charit. quæst. 9. art. 4.* quod si damnum aliquod ex omissione correctionis in Praelatis oriatur, eos ad illius reparationem teneri, vt si Praelatus patrem aliquem corrigere neglexerit, & propter hanc negligentiam filij eius perdit, non minus quam pater viuat, tenetur Praelatus filiis ipsi, etiam si Diocesim, aut Parochiam reliquerint, & ad aliam migrarint, providere, eoque monere, & corrigere. Item, si furtum aliquod commissum fuerit, defectu huius correctionis in Praelato, si probabiliter, & moraliter constet correctionem illius impedituram fuisse huiusmodi furtum, ad eius damni restitutionem tenetur: hoc tamen est de raro, aut fortè nunquam contingentibus nihilominus si contingeret, cum obligatio, quæ ex officio nascitur ad iustitiam pertineat, ad eam quoque pertinebunt omnia damna, quæ ex omissione huius obligationis consequuntur. Dices correctionem fraternali ex se, actum esse charitatis, & non iustitiæ, à quocumque fiat, siue à Praelato, siue ab alio. Respondeo, vnum eundemque actum, ratione diuersarum conditionum posse esse diuersarum virtutum, vt satis constat in actibus fidei, qui & ad fidem pro vt est virtus Theologica, ad religionem, quæ est virtus moralis, & etiam ad charitatem, qua erga Deum ferimur, pertinent: cum ergo correctio fraternalis incumbat Praelatis, vt sui officij, & non tantum vt charitatis, qua omnes homines, tantum fratres diligere, & quæ tam spiritualiter, quam corporaliter providere tenentur, ideo ad iustitiam, respectu Praelatorum pertinet: & in hac sententia est Caietanus in *articul. 3. quæstion. 33.* Ex hoc etiam sequitur omissionem correctionis fraternalis, in Praelato, mutare speciem, id est de peccato, quod solum in Laico, aut simplici Sacerdote pugnat contra charitatem, transire in aliud peccatum, quod contra iustitiam militat; nec enim tantum est circumstantia quædam aggravans, vt aliqui putant, sed est noua quædam species peccati, vt ex dictis patet. Hincque Duuallius, omnia supradicta confirmans.

RESOL. XXIV.

An Praelati, & Magistratus debeant inquirere, & explorare vitam subditorum ad fraternaliter eos corrigendos;

Et an ista obligatio oriatur principaliter ex præcepto correctionis fraternalis, an ex officio Praelati, Patris & Magistratus?

Et an Praelati, & Magistratus teneantur exploratores designare, à quibus edoceantur, quæ sint apud suos crimina?

Et an nullus priuatus possit aliorum facta inquirere? Ex part. septima tractat. tertio, Relolut. 10.

§. 1. **D**octissimus Bañez in 2. 2. q. 33. art. 3. d. 2. *concl. 3.* sic respondet ad hoc dubium Praelatus in quantum Pater est Spiritualis, potest, imo & in quantum Praelatus est, tenetur aliquando inquirere vitam filiorum, & subditorum ad corrigendum illos propter bonum ipsorum ex præcepto correctionis fraternalis, quatenus coniungitur cum Officio paterno, imo & cum officio Praelati. Ratio huius

Sup. hoc in Ref. seq. & supra in Ref. 14. §. 1. cuius in fine.

Bb 3 est;

est: Quia præceptum correctionis fraternæ obligat unumquemque facere hanc elemosynam spirituales se iudum possibilitatem diuitiarum spiritualium, quas quilibet possidet, quibus conuenienter, & prudenter potest succurrere spirituali miseriæ proximi: Sicut præceptum de elemosyna corporali in multis casibus magis obligat ditiores, quam minus diuites: ergo cum Prælati in eo quod Prælati est, & Pater est, si frater diues, & potentior ad commodè exercendum correctionem fraternam, tenebitur in multis casibus illam exercere, vtendo in quibus licet vti auctoritate Patris, & Prælati, vt commodius & efficacius fiat huiusmodi correctio. Neque multum sollicitus sum, an ista obligatio oriatur principaliter ex præcepto correctionis fraternæ, an ex officio Prælati, & Patris, siue ex vtroque capite. Vtrumque enim præceptum potest esse alterius determinatio, quando nulla circumstantia interuenit, quæ sit contra rectam rationem, sed vtrumque præceptum adimplendo vitur iure suo, & alterius adimpletionem ordinat prudenter, vt alterum præceptum melius adimpleatur. Hinc ergo explicatur, & probatur conclusio. Patri, & Iudici licitum est inquirere de vita filiorum, & subditorum per media specialia, quæ recta ratio prudentiæ dicit, de quibus postea dicemus; ergo cum huiusmodi media fuerint conuenientia ad correctionem fraternam, tenebitur Prælati illa media adhibere, quia vitur iure suo: at verò si alius adhiberet illa media ad corrigendum fratrem, peccaret vsurpando officium alienum, & iniuriam faciendo proximo, quem parat corrigere, ergo. Et de huiusmodi verificatur, quod Augustinus dicit, vbi supra: Nam profecto ex hoc maxime perturbaretur pax communitatis, si singuli eam diligentiam adhiberent, quam Prælati, & Patres adhibere possunt in exquirenda vita eorum, qui suæ curæ specialiter commissi sunt: maxime enim est odiosum, vt homines indifferetio zelo correctionis fraternæ singulas ciuitatis domos explorent, vt sciant quis ingreditur, quis egreditur eo pretextu, vt correctionem fraternam exerceant, aut certe vt Prælati denunciant, & fiscalibus, vt vitia Reipublicæ cohibeantur, & emendentur. Cum igitur qui hæc exercent, illicitis modis vtantur, credendi sunt ambitionis causa & gratia Episcopis assentandi potius, quam zelo salutis animarum, & diuini honoris ad huiusmodi opera exercenda excitati. Hucusque Bañez ornamentum Dominicane familiæ.

2. Non desinam hic apponere verba Hurtadi de Mendoza in 2. 2. volum. 2. disput. 162. sect. 5. §. 45. vbi sic asserit: Prælati, & Magistratus tenentur exploratores designare homines frugi, & veritatis studiosos, à quibus edoceantur, quæ sint apud suos crimina, quia ipsi non possunt oculatè interesse toti vbi, aut communitati. Nec passim omnes angulos lustrare oculis, vnde oportet vt ab illis moneantur, quod agatur, vt ipsi sibi subiectæ communitati prouideant. Hoc ab eis præcepto extorqueri, docet Pater Egidius disp. 28. num. 67. & Communi consensu probatur, quia ipsi ex iustitia tenentur ad diligentiam adhibendam, quæ sit moraliter necessaria ad rectam muneris administrationem: sed sine his exploratoribus, non potest munus rectè administrari, ergo. Probat, quia non potest munus administrari, in cognitione status, rerum & communitatis, hæc autem non possunt omnia videri à Prælato: ergo indiget aliorum oculis ac lingua, alioquin ob ignorantiam, crimina essent impunita. Vt ergo Pastor canes alit, quorum latratu excitetur ad abigendum lupum, ita Præfectus suos habeat delatores, ne quid impune in leges committatur.

3. Hic omnes Præfectos monitos velim, quæ ratione se gerant cum his exploratoribus, solent enim multi se efficere spontaneos accusatores, qui aliorum criminibus implent Præfectorum aures, & obturant gossipio, ne ipsorum crimina audiant, & specie zeli, seu amoris boni communis sua sequuntur deprauata studia inimicis delatis, laudatis amicis, de seipsis aliorum accusatione commendatis, qui si verorum criminum accusator ab aliquo, persequuntur Præfecto de ipsis imponi falso ab inuidis gratæ apud ipsum: & simulatis accusationum dolore. Quorum occulta caliditate præoccupatus Præfectus, committitur, nullus ergo spontaneus accusator est admittendus: hic enim malo genio & rabido fertur in conciuces, illorum vel leuissimas culpas immaniter per cancellos, & exaggerationibus effrensas. Nullus priuatus potest in aliorum facta inquirere: cur ergo vllus hoc præcepto violato sui oblitus memor vicinorum admittatur ad alios accusandos; si quando crimen accidat emendatione dignum, nec adit à quo Præfectus mouetur. Id de ferri cum honestate potest, & spontè, vel leuissimas culpas ad Præfectum deferre, animi est minime suspicari: alioquin autem accusatio sincerissimis est committenda, qui de suo nihil addant, nisi culpam exculationem, & leuamen; qua de re Sanctus Gregorius Epistola 52. lib. 2. registri, de quodam spontaneo delatore hæc scripsit Ioanni Constantino politano: *Ego beatissimo viro Domino Ioanni scripsit, sed credo, quod mihi familiaris vester iste in unculis rescriptis, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera charitatis nescit, qui in selestis vitiis ab omnibus accusatur, qui insulari quotidie diuertit, rum mortibus dicitur, per ocula testamenta, necdum minum metuens, nec homines erubescens, Mibet, de frater sanctissime, si zelum charitatis perficere habes, ipsum prius corrige, vt ex his qui vobis vicini sunt, & qui vicini non sunt, exemplo melius emendentur. Illius linguam noli recipere, ille ad consilium vestra sanctitatis debet dirigi, non autem sanctitas vestra, ad verba illius insecti, qui enim vltim audit, scio, quia pacem cum suis fratribus habere non poterit. Hæc sanctus Gregorius, quæ singuli Præfecti sibi arbitrentur scripta. Hi enim iniustitias incendij, pacis hostes simul, & ipsorum Præfectorum, cum ergo ad Præfectum spectet, omnes emendare, ab iis incipiat, eos monens vt sibi consulant, alios obuiuantur, eorumque bona exempla sibi proponant ad imitandum. Errata non scrutentur, & ostendant Præfecti, sibi esse cordi prouidere delatores inuitos quo sola auctoritate maiorum compelli possint, ad aliorum pravè facta notanda, considerent tandem verba Gregoriana pacem cum suis fratribus habere non poterit.*

4. Habent ergo Præfecti ius ad disquirenda tuorum probe, & improbe facta in quo primum obseruent, se in commune posse inquirere: verum leges seruentur: Et si tunc aliquis illarum violator? Deinde singillatim de hac lege, de illa, & singulis aliis. Secundo possunt singillatim disquirere, qua ratione Petrus leges obseruet? Quam vitam traducat Ioannes; singulos potest percurrere; quia hæc interrogatio non lædit alicuius honorem, nec famam. Est enim generalis, nec innititur malæ opinioni, nec suspitioni de subiecto de quo est, sed ostendit curam, & sollicitudinem Præfecti. Tertio, eis non licere recogitare de Petro in singulari, nec curiosè agere nisi ille speciale dederit signum alicuius legis violatæ: quia frequens interrogatio denigrat famam eius de quo est: quia suspitionem parit violatæ legis, quam sine subditi culpa nullus potest in vicinorum mentes iniicere. Quæ verò ratio sit in

Sup. hoc in
Rel. seq. §.
Sed licet, &
supra in Rel.
14. à lin. 5.

disquisitione, & quaestionibus, in eundis non est huius instituti. Et haec omnia docet P. Hurtado loco citato; quae a praelatis perpetuo menti tenenda esse existimo. Vide etiam circa praesentem quaestionem Trullench in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 1. Franciscum del Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correctione quest. 5. num. 8. & Gaspar Hurtado disp. 6. de Correctione difficul. 9. & Malderum in 2. 2. quest. 33. art. 3. qui optimè inuchitur in Caietanum aliterem Praelatos non teneri ad inquirendum vitam subditorum.

RESOL. XXV.

An Praelatus Regularis, vel alius Superior possit inquirere peccata uocata subditorum, ut illa corrigat fraternali; & quid de subditis?

Et ex doctrina huius quaestionis inferitur, an sit licitum in confessione interrogare de complice, ut corrigatur. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 42.

§. 1. **A**D primum respondeo affirmatiuè cum D. Thoma in 2. 2. quest. 33. art. 2. ad 4. & aliis ubi infra, asserentibus Praelatos alioque Superiores teneri non solum corrigere peccata, quae casu videntur a subditis fieri, aut ab illis facta cog. occultant, sed etiam inquirere in vitam subditorum, ut videant si quae in eis forte corrigenda sint. Nisi enim hoc facerent, subditi faciliter impune peccarent, cum facile ipsis esset cauerè, ne in conspectu Praelati peccarent, & facilius sibi persuaderent alios per se sine superioris inquisitione ipsos non delaturos, atque ita cum maximo boni communis (quod Superiores tenentur conferuare) detrimento omnia scaterent peccatis, & vigor disciplinae omnino dissolueretur.

2. Verum quamuis haec sit obligatio Praelatorum, tamen, ut optimè obseruat Petrus Lorca in 2. 2. D. Thom. quest. 33. art. 6. disp. 4. sect. 3. n. 1. prudentiae moderamine temperanda est, ne sit nimia sollicitudo, & intempestiua inquisitio. Vnde prouenit, ut Praelatus ipse, tanquam inquietus, & suspiciosus odio habeatur, & detractores foueat, excessus enim sollicitudinis in hac parte non solum inutilis, sed molestus, & odibilis subditis esse solet; quare prudenter D. Benedictus in regula c. 6. 2. de Abbate, inquit. Non sit turbulentus, & anxius, non sit nimis, non sit zelotypus, nimis suspiciosus &c. Ita Lorca ubi supra, & alij.

3. Sed licet, ut dictum est, Superior Religionis possit, & teneatur inquirere peccata subditorum, tamen illicitum erit subdito inquirere vitam fratrum, ut illos fraternali corrigat. Nam, ut patet ex D. Augustino serm. 16. de verb. Domini, quem asserit & sequitur D. Thomas in 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. non sunt querenda peccata, ut ipsa corrigantur. Admonet nos Dominus, ait Augustinus, non negligere inuicem peccata nostra, non querendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Et ideo Lorca ubi supra num. 10. sic asserit. Non solum non tenemur querere peccatores, & peccata, quae corripimus, sed talis inquisitio vitiosa est, & reprehensibilis; quia generat scandalum, & occasionem praebet odiis, & dissensionibus; nam homines molestè ferunt facta sua scrutari ab alijs, & natura sua inquisitio haec iniuriam infert proximo, aduersatur enim honori, & bonae existimationi, quam de se haberi omnes cupiunt, quare numquam ex charitate, sed ex ambitione, & sollicitudine vana, & inepta oritur. Sic Lorca, quem sequitur Ioseph. à Sancta Maria in Tribunali Religiosorum tr. 1. c. 10. §. 3. ubi sic ait. [Nota que los subditos, y personas

prinadas en ninguna manera tienen obligacion à inquirir peccados ajenos para corregirlos; antes la tienen para no hazerlos, y à no ser exploradores de vidas ajenas. Esta doctrina quisiera yo, que tuuiesen muy en la memoria, y que la diessen asienso en la voluntad los subditos quen Dios ha librado del cargo de almas ajenas, y de la obligacion de dar quenta mas que de la sua, para que no se inquietassen y assi à las comunidades donde moran, dando ocasion à discordias, y pesadumbres con su demasido cuydado en inquirir, y procurar saber las faltas de los proximos, y hermanos.] Sic ille. Et ideo hanc sententiam docent communiter Doctores, ut Coninch de Actibus supernat. d. 28. dub. 5. n. 71. Lefeldema in sum. tom. 2. tr. 4. c. 4. concl. 11. Miranda de ordine iudicario tom. 1. quest. 9. art. 3. concl. 3. Malderus in 2. 2. q. 33. art. 3. asserit. 3. Reginaldus tom. 1. lib. 4. c. 25. n. 336. Tannerus in 2. 2. disp. 2. q. 5. dub. 4. num. 79. Villalobos in sum. tom. 2. tr. 4. diffie. 6. num. 3. Banez in 2. 2. q. 33. art. 3. dub. 3. Petrus Fay de penit. in addit. ad 3. part. quest. 11. art. 1. disp. unica. ad ult. argum. Spatarius in Practica criminali canonica, tract. 4. c. 2. n. 1. Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 89. dub. 5. Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 3. cap. 7. num. 2. & alij. Non potest igitur aliquis inquirere peccata aliena, ut corrigantur; ex quo principio damnatur opinio asserentium, licitum esse in confessione interrogare de complice, ut corrigatur: nam si non licet inquirere peccata aliena extra confessionem, quanto minus in confessione; Sed haec opinio, ut alibi probauimus est perniciosa, & sacramenti Praetentiae destructiua.

Alibi in to. 8. Ref. 47. & alijs eius not.

RESOL. XXVI.

An subditi teneantur suos Superiores corrigere? Et quid, si peccata sint publica; & scandalosa, an tunc argui debeant, etiam si nulla speretur emendatio? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 15.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè, ut patet ex cap. sicut 2. quest. 7. ibi: sicut laudabile, & discretum est reuerentiam, & honorem exhibere maioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris est si quae in eis sunt, quae indigent correctione nulla dissimulatione postponere; cum & proximi sint, & artius teneantur eos diligere. Aduertendum tamen est hanc correctionem faciendam esse cum magna prudentia, & humilitate, & potius obsecrando, quam increpando; alias nullius effectus erit. Itemque lecretò, & non publice; ex decreto Innocentij III. ex cap. cum ex iniuncto, de haeret. & facit ad id cap. sententia, cap. qualis 2. quest. 7. Quod intelligi debet, nisi peccata sint scandalosa, & publica, tunc enim publice argui debent, etiam si nulla speretur emendatio. Deinde captari debent tempora, quibus creduntur magis esse dispositi; & generaliter in hac correctione summa prudentia opus est. Et ita docet Caspensis in cursu Theol. tomo 2. tract. 17. disp. 6. sect. 1. num. 6. Filliucius tomo 2. tract. 28. cap. 5. num. 125. Reginaldus tomo 1. lib. 4. cap. 25. num. 330. Franciscus del Castillo in 3. sentent. tomo 2. disp. 6. de Correct. quest. 6. num. 8. Malderus in 2. 2. quest. 33. art. 4. Valentia tomo 3. disp. 3. quest. 10. puncto 4. Banez & Caietanus in 2. 2. quest. 33. art. 4. Trullench in Decal. tomo 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. n. 3. Filliucius tomo 2. tract. 18. cap. 5. num. 125. & 126. & Villalobos in summa. tomo 2. tract. 4. diffie. 7. num. 4. ubi obseruat, quod [Ex estas correcciones es menester gran prudencia, y no las han de hazer todos, sino un predicador prudente, y una persona

anciana, y quando el pecado non es publico, ha se de mirar mucho por el honor del Prelado, y su auctoridad; como se colige de vn texto.] Coninch de Charitate, disp. 28. dub. 4. num. 52. & alij.

2. Vnde non deseram hic apponere verba Petri de Lorca in 2. 2. disp. 4. 3. num. 4. vbi sic ait. Sequitur secundo inferiores teneri ad correptionem Prælatorum, quando causa postulet. Quod docent Patres Augustinus in regul. *Non solum vestri, sed & Prælati miseremini.* &c. & Epistola 19. Petrus maioribus exemplum præbuit, ut sibi rectum iramitem reliquissent, non dedignarentur à posterioribus corrigi. Et Gregorius Epist. ad Nicacium, & habetur 2. quæst. 7. cap. sicut, inquit. *laudabile, discretumque est reverentiam, & honorem exhibere maioribus; ita retribuidis, & Dei timoris est, si que in eis sunt, quæ indigent Correctione, nulla dissimulatione postponere.* Hæc ergo est differentia inter correptionem fraternam, & iudicalem; quod iudicialis, quæ iurisdictionem exigit, non licet subditis, fraterna autem, quæ ex charitate oritur, licet. Prælati verd eo quod Patres sunt, non idè non sunt fratres in Christo; & Patres comprehenduntur *Matth. 18.* nomine fratris.

3. Sed admonent Doctores, tria seruanda esse subditis in correptione Prælatorum, vt debite fiat. Primum, vt non quilibet temere hanc correptionem usurpet; indignum enim esset, si homines viles conditione, vel moribus Prælatos & Principes corrigere per seiplos tentarent. Satisfaciunt tales suo muneri si personas digniores, & proximiores Prælati admonuerint, vt eos corrigant.

4. Secundum est, Prælati corrigatur cum magna reuerentia, & humilitate, iuxta illud 1. ad Timot. 5. *Seniorem ue increpaueris, sed obsecra vt Patrem.* Lege quæ in corpore, & in argumentis dicit Sanctus Thomas.

5. Tertium est, vt numquam publicè corrigantur, ex Decreto Innocentij III. cap. cum ex iniuncto, de hereticis. Cum aliud sit fratrem peccantem occultè corrigere, aliud Patrem suum delinquentem reprehendere manifestè; quod vtique nulli licet secundum Evangelicam veritatem. Qui autem publicè Prælatorum vitia reprehendunt, scandala generant, & subditis occasionem despiciendi tribuunt. In quos solet retorqueri maledictio Cam, qui patris verenda ostentui obiecit, vt dicunt Clemens Papa, & Anacletus in cap. Sententia, & cap. Qualis. 2. quæst. 7. Quod intelligendum est tam de Prælati, quam de quibuscumque aliis, qui ad doctrinam, & exemplum sunt constituti. Est tamen limitandum, nisi peccata Prælatorum fuerint scandalosa, & publica; tunc enim ne noceant subditis publicè arguenda sunt, etiam si nulla speretur emendatio Prælatorum. Hucusque Lorca, quæ omnia à nobis superius dicta confirmant.

RESOL. XXVII.

An Concionatores teneantur corrigere publica peccata, quamvis non multum fidant de emendatione?

Et an teneantur, vel sit eis licitum publice Principem, Prælaturam, Superiores Ecclesiasticos, & Religiosos, reprehendere? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 13.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam tenet Hurtadus de Mendoza in 2. 2. volum. 2. disp. 162. sect. 7. §. 8. Tum exemplo Isaie, & aliorum Prophetarum, qui locuti sunt verbum Dei hominibus rebellibus, & obduratis corde, quorum futuram pertinaciam agnouerant ex reuelante Deo contestante, Prophetas non audiendos, auditores autem in pec-

cato morituros. Præcipuum exemplum est Christus Dominus ipse, qui rectè nouerat induratum Pharisæorum malitiam, quos apertè ad penitentiam hortatur. Mihi autem valde credibile est, Baptistam cognouisse Herodianam pertinaciam: quem tamen publicè arguit incestuosi adulterij. Ratio est, quia sic hic, aut ille non respiscat, at ceteri teneantur in officio, & multi concipiunt animo timore Dei, & quæuis reuelaretur concionatori nullum omnino in conuersum, tamen teneantur publico suo muneri publicè satisfacere, & agere partes Dei. Qui vt vocat peccatores concilius illorum pertinaciæ futuri, quia sic expedit suæ providentiæ, ita expedit eidem, vt Prædicatores publicè arguant peccatores; quia per illorum voces peccatorum pulsat aures, & reddit iustitiam illorum, ob pertinaciam, condemnationem. Sic ipse Deus affirmat à se missos Prophetas, qui eis penitentiam perluaderent, quos non modò non audierunt, verum & occiderunt. Quam autem prudenter se gere debeant in reprehendis vitis Principibus, & aliis non est mei muneris. Nec ego nunc Prædicatores instituo, Pater Suarez disp. 8. sect. 3. num. 6. indicat videtur non esse obligationem corripiendi, vbi nullus omnino speratur fructus, quod accipitur de priuatis hominibus, non verd de concionatoribus. Est enim non exiguus fructus, vt quis suo muneri faciat satis, & Deus homines per Prædicatores vocet ad penitentiam ad quod ipse eos elegit.

2. Obiicies, homo priuatus non tenetur sine fructu aliquem corrigere; ergo nec Oratores sacri quia priuatus idè excusatur, quia non corriget ipsa errantem. Nego consequentiam; quia priuatus non tenetur, nisi vt re ipsa reuocet errantem, quod per rationem excusatur; Sacer autem Orator tenetur, tum ratione emendandi proximum, tum ratione officij, cuius legibus stare tenetur. Ob quod Deus Prophetæ dixit, eum innocentem futurum si tuba intonerit, peccatorem autem perituum. Qui ergo hoc munus obeunt, tenentur legatione Dei fungij, & singulos admonere ne pereant, qui autem hoc tam reuerente munus deprauiant, rationem reddent iactura multorum animorum, qui ob illorum taciturnitatem quotidie pereunt. Hucusque P. Hurtadus.

3. Coninch disp. 28. dub. 6. num. 113, dicit quod Concionatores tenentur publica peccata, aut quæ in iis locis sciuntur crebro fieri, publicè reprehendere, et si ea committentes credantur non emendandi: nisi forte grauiora mala timeantur; vt ferè accidit quando Superiorum peccata publicè reprehenduntur, sed cautè Concionatores in hoc procedant, & cum suis Superioribus omnia communicent.

4. Et idè apponam hic verba Dominici Bæta in 2. 2. quæst. 33. art. 4. vbi sic ait, Summopere aduertendum est cum Caiet. in hoc loco, quod in dubijs casibus licitum erit Prælaturam publicè reprehendere, videlicet, quando Prælatus erraret in fide, decederetque alios errorem suum; & etiam quando notabiliter suis moribus scandalizat, Tunc enim publicè destruit charitatem, vnde publicè corrigendus est, quoniam huiuscemodi correctio regulariter loquendo, potest prodesse populo, & nihil obesse. In alijs verd casibus caueant Prædicatores verbi Deum ponant in cælum os suum, sicut cautum est in Constitutionibus fratrum Prædicatorum. Dicuntur autem ponere in cælum os suum, qui in Prælatos Ecclesiasticos impudenter inuehantur, quorum auctoritas valde necessaria est ad bonum communitatis, quapropter nisi communitati perniciosi fuerint, non sunt publicè reprehendendi. De qua re videatur Caiet. in 3. part. quæst. 42. art. 2. vbi prudentissimè loquitur circa correctionem, & reprehensionem publicam contra Prælatos exercendam. Cuius doctrinam debent Prædicatores non

De Correctione Fraternali. Ref. XXVIII. & c. 297

noſtri temporis ante oculos habere, & fortassis ſape continerent ſpiritum ſuum a quibusdam publicis reprehentionibus, in Eccleſiaſticos maxime, & Religioſos, ad quas excitantur ſape numero ſpiritu vanitatis, & ambitionis, aut inuidiæ, & æmulationis, potius quàm ſpiritu Dei, & boni communis pio zelo, cum potius communitatem ſcandalizent, quàm ædificent, populūque diſponant Chriſtianum ad errorem Lutherianorum, qui propter defectus perſonales Prælatorum Eccleſiam Chriſti Satanæ Synogogam appellant, & ſeipſos ab eius obedientia ſeparant, cum ipſi ſunt animales ſpiritum non habentes. Ita Bañez

RESOL. XXVIII.

An ſi Concionatores corrigant in peccato, peccent mortaliter? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 14.

§. 1. **P**ures Doctores affirmant peccare mortaliter, ſi in peccato corrigunt, quia ſunt actiones, quaſi ſacræ a peccatoribus non exercendæ, ita Caietan. 2. 2. quaſt. 87. art. 1. & pag. 964. art. 6. & inſinuat ibi D. Thom. Sylueſt. verbo *Correctio*, num. 16. loquens de correctione iudiciali.

2. Contrarium omnino eſt dicendum, quia ſupradictæ actiones, nec ſunt annexæ ordinibus ſacris ex inſtitutione Chriſti, nec ſunt ita ſacræ, quin a peccatore effici poſſint. Nulla ergo efficaci ratio eſt obligandi Concionatores, & Iudices gratiam habere, vt peccata publica corrigant. Et ita docet Franciſcus del Caſtillo in 3. ſentent. tom. 2. diſp. 6. de correct. q. 6. n. 3. Suarez de Charit. diſp. 8. ſect. 4. num. 6. Torres in 2. 2. tom. 1. quaſt. 33. art. 5. diſp. 88. dub. 2. Caſtrus Palaus tomo 1. tract. 6. diſp. 3. puncto 7. num. 7. & Villalobos in Summa tomo 2. tractat. 4. diſp. 8. num. 3. vbi ſic ait: *Quando vn peccador, aunque ſea publico, corrige à otro, no pecca, mas ha lo de hazer no riñiendo, ſino rogando, exortandose, a ſi, y al otro, Aſſi lo dicen Soto, y Aragon. La razon es, porque eſto es diſpoſicion para emendarſe el miſmo, y el hermano. Mas ſi la correccion fuſſe riñiendo, eſtuido el en igual peccado, o mayor, pecaria graueamente, como dice Aragon; y parece ſe colige de aquellas palabras: Qui prædicas non furandum, furaris, propter vos blaſphematur nomen Dei intergentes. Lo qual ſe entiendo mas propriamente del Predicador, que ſtendo peccador publico predicaffe, que eſſe peccaria mortalmente. Mas ſi el peccado del Predicador fuere ſecreto, no pecaria, aunque predique, como lo haga con humildad, y temor, y le incumba de officio, como dicen Soto, y Aragon, contra otros. Laraxon es, porque eſte officio eſtando en derecho natural, no es officio de orden, ni requiere conſagracion, aunque de derecho Canonico, ſe veda que no prediquen los que no fueren Sacerdotes, ita loquitur Villalobos.*

RESOL. XXIX.

An iudices præſertim Eccleſiaſtici in peccato mortali exiſtentes poſſint exercere Correctionem iudicalem in alios?

Et an de iudicibus ſecularibus non ſit difficultas? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 17.

§. 1. **D**e iudicibus ſecularibus non eſt difficultas, cum enim eorum actus ſunt omnino proprii, & humani, peculiarem quandam ſanctitatem in miniſtro non exigunt; dubium eſt de iudicibus Eccleſiaſticis & qui ratione dignitatis ſuæ Eccleſiaſticae, alios iudicant. D. Thomas in 4. diſp. 19. quaſt. 2.

art. 2. Paludan. *ibid. quaſt. 3. art. 3. Sylueſt. verb. Correctio quaſt. ult.* putant Iudicem Eccleſiaſticum, qui eſt in peccato, non poſſe ſine nouo peccato, actum iudicalem in alium peccatorem exercere. Primum, ex Apoſtolo cap. 1. Epift. ad Romanos; *In quo enim alium iudicas, te ipſum condemnas.* Vbi loquitur de peccatore, ſe ad iudicandum alium accingente. Deinde, quicumque exercet actum dignitati Eccleſiaſticae annexum in peccato, peccat: actus quippe ille eſt ſacer, & propterea ſanctitatem in miniſtro requirit; aliàs, quantum in ſe erit ponet obicem actui illi ſanctificanti, quod non poſſe eſſe à peccato immune. Verum, contraria ſententia tenenda eſt; tum quia, ſi ita eſſet, vt iudices peccatores peccarent iudicando, ſeu exercendo actum iuſtitie, quilibet peccatores exercendo actum alicuius virtutis ſimiliter peccarent; non enim eſt maior ratio vnius actus, quàm alterius: hoc autem eſt abſurdiſſimum; ſic enim peccator nullum bonum exercere poſſet, & tantum abeſſet, vt ad bona opera excitari deberet, quin imò ab iis deberet deterteri, & auocari, non minus quàm à malis operibus, quia exercendo ipſa bona opera, ſuppoſito quòd ſit in peccato, & non peccaret: quod eſt abſurdiſſimum. Deinde, quamuis actus iuſtitiae, ſaltem in Iudice Eccleſiaſtico. ſit actus aliquis ſacer, nõ tamé omnes actus ſacri gratiã ſanctificantem in operante, ſeu miniſtro requirunt: v. g. in Concionatore, Subdiacono Epistolam recitante: ſeu etiam Diacono Euangelium, vt fert cõmunis Theologorum ſententia; ſed ad hoc, vt actus aliquis ſacer requirit gratiam in operante, debet eſſe actus ſuapte natura, & non ex diſpoſitione recipientis, ſanctificans: Soli autem actus Sacramentales ſunt eius generis, non autem alij, qui ſanctificant ſolum remote, & ex diſpoſitione recipientis. Ex quibus ad teſtimonium Apoſtoli in contrarium allatum, reſpondeo, tantum velle Apoſtolum, peccatorem; alios iudicando, ſeu condemnando, ſeipſum iudicare, & arguere; ita vt ipſe ſeipſum, per ſuum iudicium reum oſtendat, ad inſtar Concionatoris vicioſi, qui ſua peccata damnat, cum de iis alios reprehendit. Qui prædicas non furandum, furaris, non mœchandum, mœcharis: non adorandum idola & ſacrilegium facis, ſerue nequam ore proprio te iudico. Ad ſecundum reſpondeo, actum iudiciale eſſe annexũ dignitati iurisdictionis, non auté ordinis; ſoli autem actus ordinis requirunt gratiam in operante, non auté actus iurisdictionis; cuius rei ratio eſt quia actus ordinis ſuapte natura ſanctificant: actus vero merè iurisdictionis non ſanctificant per ſe, ſed tantum per accidens: remote, & diſpoſitiue: Et hæc omnia docet Duuallius in 2. 2. tr. de Charitate, quaſt. 9. art. 4. cui ego addo Lorcan in 2. 2. diſp. 42. n. 13. & Galparum Hurtado diſp. 6. de correct. diſp. 10.

RESOL. XXX.

An Confeſſarij, vt Prælati, poſſint mores penitentium inquirere? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 12.

§. 1. **R**eſpondeo negatiue, quia eorum authoritas in foro exteriori minimè viget, ſed tantum in interiori: perquiſitio autem illa eſt quid exterius, vt ſatis conſtat, tum quia non habent authoritatem in inuitum, & renitentem, ſed tantum in eum, qui ſpontaneè ſe illis ſubmittit: at verò Prælati interiori, & exteriori tam in inuitum, quàm in volenté, ius & authoritatem habent; quòd ſit, vt etiam ſi Prælati inquirere in vitam aliorum teneantur, non tamen propterea ipſi Confeſſarij tenebuntur, imò hoc eſt illis omnino illicitum, quia ſic dicerentur exploratores, & velle non tantum per os ipſius penitentis, ſed ab aliis reſcire ſtatũ illius;

82

RESOL. XXX.

Pro Concionatore in Ref. prægrita, & pro Subdiacono, & Diacono in tom. 2. tr. 5. Ref. 118. & late in tom. 1. tr. 2. Ref. 5. §. penul. & vit.

illius, eoque modo de eius fidelitate, in confessione dubitare viderentur, quod aliquo pacto exofam confessionem redderet: debent quidem in confessione suos penitentes monere, & corrigere, non tam fraternè, quàm iudicialiter, sed occasione suarum monitionum, ex iis, quæ in confessione sibi declarantur, debent arripere, non autem aliunde investigare. Et ita docet Duallius in 2. tractat. de Charit. quest. 9. artic. 4.

RESOL. XXXI.

An si quis, v. g. videat Clericum ex obliuione inuincibili omittere officium, vel aliquem comedere carnes in die ieiunii &c. teneatur illos monere? Ex part. 9. tractat. 8. & Mis. 3. Resolut. 48. §. 1. tantum.

Sup. hoc in fra in Ref. 68. & signa ter §. Dixi. & in §. 1. à lin. 4. & seqq.

§. 1. **N**egatiuam sententiam tanquam probabilem admittit doctissimus Pater Ouiedo in parr. 2. D. Thoma tract. 5. contr. 2. punct. 3. num. 29. & 30. vbi sic ait: Difficilius est definire, an priuata persona teneatur depellere ignorantiam inuincibilem ab alio, quando ex illa facit opus, quod ignorantia seclusa, peccatum esset, etiamsi hic, & nunc ratione ignorantia excusetur. De hac re Doctores agunt in materia de correctione fraterna, & omnes allerunt non teneri priuatam personam monere sic facientem opus peccaminosum, à quo excusatur ratione ignorantia, quando talis monitio non speratur fore utilis. Si tamen utilis speretur, distinguunt Doctores, aut opus factum ex ignorantia est contra ius naturale diuinum, vel contra ius posituum. Quando est contra naturale, vel diuinum, fatentur omnes per se loquendo, teneri personam priuatam monere sic errantem. Quando verò est contra ius posituum humanum, vt non comedere carnes die Veneris, recitare horas cononicas, aut alia huiusmodi, Authores diuisi sunt. Tannerus 2. 2. disput. 2. quest. 5. dub. 4. num. 77. docet hanc admonitionem esse faciendam, quando speratur fore vtile. Suar. 2. 2. disput. 8. de precept. corrept. docet quemlibet teneri in hoc casu depellere ignorantiam alienam non precepto correctionis, sed dandi consilium, vel doctrinam. Mihi tamen valde probabile est hominem, qui aduertit, Clericum ex obliuione inuincibili omittere horas vespertinas, aut alium comedentem carnes in die Veneris absque aliorum scandalo; non teneri illum monere. Ratio est, quia ad hoc non tenetur precepto correctionis, quia alter non labitur. Nec alio precepto, cum illæ actiones ex se male non sint; & malitia, quam haberent ex oppositione ad leges humanas, excusatur qui eas exercet ratione ignorantia. Nec leges humanæ positivæ tanti momenti sunt, vt omnes teneamur aliis eas in memoriam reuocare, quoties ex earum ignorantia, aut obliuione naturali imminet materialis illarum transgressio: Hucusque Pater Ouiedo, qui citat Villalobos, & Azorium; cum quibus subdit priuatam personam teneri ad ignorantiam prædictam ab alio remouendam, quando cederet in damnum tertij, vel ex ea oriretur scandalum. Vide etiam circa præsentem quæstionem Coninch. disput. 28. dub. 4. num. 43.

RESOL. XXXII.

An Parentes, Domini, & Mariti teneantur fratri ad correctionem? Ex part. 7. tractat. 3. Resol. 31.

§. 1. **D**e hac quæstione cursum supra aliquid dictum est; nunc igitur aliter cum Henrico de Mendoza vol. 2. disp. 162. sect. 2. §. 10. quod parentes tenentur corrigere filios, & ceteros eius familia speciali quidem titulo, hæc doctrina non eget probatione. Heli enim interit derepente, quia filios suos non deterruit à peccato, quo populum crebro præcipit, vt sciatis domibus præfisse, & filios habere honestos: imò tenetur aliquo supplicio parentem eos in officio tenere. Prima ratio est ab exemplum rerum temporalium, de quibus Patres tenentur prouidere filiis titulo speciali, eoque præfente debent ceteris personis priuatis: ergo eadem ratione tenentur illis prouidere in rebus spiritualibus, eoque ceteris præferre. Secunda ratio est: quia filij ob coniunctionem cum parentibus, non censentur distincti, & pro sanguinis coniunctione proximiori, aut remotiori tenentur omnes strictiori lege, quam alieni: quod ipsæ feræ commonstrant. Tertio quia ad parentes spectat filios bonis moribus imbueri: ergo & peccato deterrere.

2. Et ideo Villalobos in summa tom. 2. tract. 4. difficult. 6. num. 5. sic ait. [Los maridos respeto de las mugeres; y los padres respeto de los hijos; y los señores respeto de los criados, aunque no tienen tanta obligacion a la correccion, como los Prelados que tienen el gouierno espiritual, tienen la mayor, que los demas, como consta de S. Augustino, y ha se de aduertir, que estos no pueden en sus inferiores hacer correccion judicial aunque bien pueden castigarlos moderadamente, y dice Aragon. que no tiene obligacion el amo, de echar al criado de casa, para apartarlo de la mancha, sino fuesse por razon del escandalo que quitarle la comida el dia del ayuno, porque no le quiebre, o echarle de casa porque no ayuna, sino solo esta obligado à corregirlos. Mas yo no voy como si el moço y la moça estan amancebados, y lo sabe el amo, se pueda excusar de echar el uno de casa pudiendo: pero en lo demas, bien me parece que no tendra obligacion de echarle de casa, porque esta amancebado con una de suera. Ita ille.

RESOL. XXXIII.

An priuatus teneatur vitam suam emendare, vt possit peccatum corrigere, quando ob peccatum iniquum efficitur ad correctionem?
Et an saltem ob correctionem fraternam in casu extremae necessitatis non solum Prælati, sed etiam priuati sint obligati penitere? Ex part. 6. tractat. 1. Ref. 16,

§. 1. **A**D hoc dubium ita respondet Coninch. Char. disput. 28. dub. 7. num. 132. & seq. Priuatus cui non incumbit specialiter aliorum cura, vivens in peccatis, si alium suo malo exemplo non pertraxit ad peccatum, communiter non obligatur singulari precepto charitatis erga proximum vitam suam emendare, vt hunc peccantem possit corrigere. Ita Bañez 2. 2. quest. 33. art. 6. in dub. concl. 1. citans Sotum, Lorca vbi dem disput. 4. num. 12. Baldel. quest. 33. art. 5. concl. 3.

2. Probatur quia quando alterum meo exemplo, vel autoritate non induxi ad peccandum, tunc non mihi, sed ipsius malitiæ imputandum est, si nolit se emendare nisi ego me emendem; nec enim tenetur quouis modo alterius emendationem procurare, sed sufficit, quod mediis ordinariis vtatur, cum ad emendationem adhortando, quando hoc oportunitum est &

& adest spes fructus: præsertim cum ille respectu meæ correctionis in particulari non sit in magna necessitate, cum aliis modis, si velit, possit facile iuari: & cum multorum aliorum bonorum exemplo, & vitiis reprehensionibus factis à Concionatoribus non inuenitur, vix poterit esse probabilis spes, quòd mea correptione emendaretur, si ego me prius emendarem. Confirmatur, quia pauper, etsi diligentius laborando, & parcius viuendo, posset facile acquirere diuitias, ex quibus daret eleemosynas; tamen ad illud non tenetur in communi aliorum necessitate: quia non tenetur huiusmodi proximi necessitati satisfacere modo nobis ita difficili: ergo nec pauper spiritualiter tenetur laborare vt habeat spirituales diuitias, vt ita communem necessitatem spirituales patientibus det eleemosynam spirituales. Probatur consequentia, quia sæpe peccatori difficilius est vitam suam corrigere, quàm esset illi extraneis laborare, ac parcius viuere. Nec refert, quòd peccator tenetur sua vitia corrigere, quatenus hæc repugnant legi Dei, & naturæ: quia inde non sequitur, eum ad hoc teneri in gratiam proximi corrigendi, & hic solum contendit eum sub hac ratione non teneri.

3. Dixi, si alium non petrahit ad peccatum, &c. Quia is qui alium ex se non peccatum & à vitis alienum suo malo exemplo ad flagitiosam vitam petrahit, singulariter obligatur ad illius emendationem laborare; atque ad id si eum putet aliter non corrigendum, tenetur etiam eius causa vitam suam corrigere, quia tunc semper præsumendum est, quòd aliter pergat eius exemplo ad peccandum moueri, quamdiu ipse vitam suam non corrigit: nam aliàs vix potest fieri: vt hic probabiliter credat eum emendandum, si ipse prior suam vitam emendet, & contra non emendandum nisi ipse se emendet. Sed hoc vix contingit, nisi in iis, qui magna sunt autoritate apud alios, ita vt suo exemplo eos facile in vtramque partem mouere possint: qui ideò etiam eodem procepto, quo vetantur alios scandalizare eos ad peccatum petrahitendo, obligantur vitam suam saltem exterius emendare, ne alius scandalo sint eos in peccato continendo.

4. Dixi, communiter non obligatur, &c. Quia qui omnino crederet proximum in peccato moturum, nisi ipse suam vitam emendaret, eamque ita ad meliora hortaretur, teneretur ex charitate vel ideò vitam suam emendare, vt extremum ab eo malum auerteret: sed hoc vix fieri potest, nisi in eo qui est summa apud aliquem auctoritate, & hunc exemplo suo ad peccandum petrahit, & vix vnquam nisi in peccatis contra fidem. Maxime autem tales tenerent vitam corrigere, quando hinc penderet multorum emendatio; vt contingit in iis, qui suo exemplo continent alios in peruersa doctrina, aut in superioribus, præsertim Ecclesiasticis, qui suo exemplo sæpè multos peruertunt. Sed hi maxime tenentur ad emendationem sui ratione scandali, quòd aliis dant. Hucusque Coninch.

5. Non me verò fugit etiam Turrianum in 2. 2. tom. 1. disput. 88. dub. 2. Banez quæst. 33. art. 5. conclus. 5. Villalobos in summa tom. 2. tract. 4. difficult. 8. num. 2. & alios, docere, ob correctionem fraternali in casu extremæ necessitatis, non solum Prælatos, sed etiam priuatos obligatos esse pœnitere: Attamen hanc doctrinam difficilem esse docet Castrus Palaus tom. 2. tract. 6. disp. 3. punct. 7. num. 6. quia peccator tenetur admittere correctionem à quocunque fiat, præcipue in articulo mortis, & ex alia parte corrigens sufficienter quid faciendum sit, proponit temperando humilitate sermonis indignitatem suam. Ergo satisfaciit, præcepto correctionis, sicuti satisfacit præ-

cepto eleemosynæ corporalis, illam tribuens, existens in peccato. Item correptus non potest aduersus sic corripientem retorquere argumentum, vt seipsum curet, cum facile sateri possit se corripendum, & emendandum fore, si in simili necessitate esset constitutus. Facit ergo quantum videtur necessarium, vt correctio fructuosa sit, sit verò fructum non habet, ex malitia correcti, & non ex defectu corrigentis prouenit. Et ita mihi videtur dicendum ratione præcepti correctionis raro, vel nunquam te, nisi Prælati sis, esse obligatum pœnitere; ratione verò scandali obligatio esse potest, cum tuo peccato, & malo exemplo facis, vt alius peccatis inhæreat. Ergo, &c.

6. Verum sententiæ contrariæ adhæret Duallius in 2. 2. tract. de Charitat. quæst. 9. art. 4. vbi sic ait. Quæres, an qui sunt in peccato, teneantur se emendare, vt alios fructuosè, & vtiliter possint corrigere. Respondeo primò, Prælatos, & superiores, cum teneantur, aliis media ad salutem necessaria procurare, debere se emendare, vt eorum correptio, quæ interdum est medium necessarium ad alterius emendationem reddatur efficax. Secundo dico, alios simplices Christianos, qui aliorum curam non habent, non teneri se emendare, vt salubriter, & cum effectu corripiant. Ratio est, quia quòd proximus nolit, mea correptione se emendare, nisi prius me emendem, debet sibi imputare, quandoquidem potius admonitionem, & correctionem, quæ bona est, quàm ad personam admonentem debet attendere. Quæ dicunt, facite, inquit Christus, opera autem eorum nolite facere. Aduertendum tamen est, quòd si proximus esset in peccatis suis moriturus, nisi corripiens se emendaret, teneretur ipse se emendare, vt eum saluaret, quandoquidem plus teneor diligere salutem proximi, quæ est in euidenti discrimine, quàm meas voluntates, & commoda carnis meæ, atque etiam aliquod incommodum subire, vel admonitio, quæ est vnicum illius remedium, reddatur efficax. Ita ille.

7. Nota verò quod doctissimus Franciscus del Castillo in 3. sent. tom. 2. disput. 6. de correct. quæst. 6. num. 5. ex Gaspare Hurtado in casu præsentis dubij distinguit de emenda exteriori, & interiori: exterior enim, est quædam proprii peccati recognitio; interior verò est contritio, & pœnitentia de commisso peccato: qua distinctione supposita, asserit, quod ex vi præcepti correctionis tenetur aliquando peccator ad exteriorem emendam, non autem ad interiorem: Quia aliquando emenda est medium per se, & simpliciter requisitum ad vtiliter corrigendum actiue proximum, sed præceptum finis obligat ad media per se. Ergo. Sed non emenda interior: quia hæc non noleatur, quia occulta est proximo; Ergo. Et per hanc distinctionem putant Castillo, & Hurtadus posse reuocari in concordiam sententiæ oppositas.

RESOL. XXXIV.

An licitum sit permittere alicuius peccatum, vt melius corrigatur?

Et an liceat differre correctionem eo sine, vt proximus oppressus peccatis feruentius respiciat, propriam miseriam cognoscendo? Ex part. 7. tit. 3. Ref. 29.

§. 1. Affirmatiue respondet Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disput. 3. punct. 6. num. 7. & Fillicius tom. 2. tract. 28. cap. 6. num. 239. Sanchez in Opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 1. num. 7. Villalobos

Sup. hoc inf. in tr. 5. in Ref. 41. à §. 2. & in alio §. eius not.

in *Summa* tom. 2. tract. 4. difficult. 3. num. 6. ubi sic ait: *Advertase que seria licito alguna vez permitir que alguno caya en peccado; quando se entiende, que con esso se corrigira mejor viendo que le cuesta caro: la razon es, porque la correccion fraterna se haze por la emienda del hermano; y assi se deve hazer quando a el le esta mejor, como dizen Soto, y Aragon. Mas eno por esso es licito dexarle caer en nuevos peccados, para castigarle: porque esso no es del iuzio humano, sino del divino. Ita ille; & post illum Trullench in *Decalogum* tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 18. ubi etiam sic ait: Similiter licet differre correptionem, ea intentione, vt proximus commissione multorum peccatorum feruentius respiscat, si non est spes probabilis aliter vere emendationis: quia sic tantum permittimus peccatum, vt proximus non resurgat, vt postea relurgere possit feruentius, imò non tam permittimus peccatum, quam vt proximus non resurgat; quod possumus facere sine peccato. Vide *Fillucium tract. 28. cap. 6. questio. 7.* Hoc autem limita cum *Ledema sup. conclus. 11. vers. La ultima condicion*, nisi timeatur calurum in grauissimum peccatum, verb. g. communicarum in peccato mortali. Vnde licet in pueris permittere furta mihora, vt propter illa penas aueat, à grauioribus abstineant, Hucvique Trullench.*

2. Non desiram tamen hic apponere verba Francisci del Castillo in 3. *sentent. tomo 2. dist. 6. de Correct. questio. 4. num. 10.* ita asserentis: Non licet differre correptionem eo fine, vt proximus oppressus peccatis recipiscat miseriam propriam cognoscendo, vt vult Sotus, quia licet Deus sic aliquando permittat, vt postea ipsum auxiliando, à peccatis eruat; tamen hoc nobis non licet, quia neque præbere possumus auxilia efficaciam sicut ipse, & misericordia non patitur fratrem relinquere inuoluti in peccatis, etiam si sit suscipio quòd resurget de futuro. Ita ille.

RESOL. XXXV.

An statim adhibenda sis correccio? Ex part. 7. tr. 3. Ref. 30.

§. 1. **R**espondeo cum *Dualio in 2. 2. D. Thom. tract. de Correptione, quest. 9. artic. 3.* in correptione fraterna adhibendam esse considerationem circumstantiarum loci temporis, & caterarum eius generis: cum enim correccio habeat rationem medicinæ, locus, & tempus ad illius applicationem necessariò sunt obseruanda, cum satis constet homines aliquo tempore, & loco esse magis, quàm alio ad emendationem dispositos: & sic prudenter, & laudabiliter nonnunquam differretur.

2. Et ideo Trullench. in *Decalogum* tomo 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 8. asserit in correptione attendendam esse opportunitatem temporis; id est, quòd frater eo tempore corripiatur, quo credimus illum ex nostra correptione, non amplius peccaturum. v. g. quando peccator iam est expertus suam imbecillitatem, & illum peccati quasi tædet. Vnde quando creditur affutura maior opportunitas, vel speratur maior vtilitas, licet differre correptionem. Propterea proximus dum ira feruet non est corripiendus, sed expectandus donec eam deposuerit.

3. Rectè igitur Villalobos in *Summa* tom. 2. tract. 4. difficult. 3. num. 5. sic ait: *La tercera circunstancia es, que aya oportunidad, assi de tiempo como de persona, Porque no luego que se comete el delito se ha de corrigir, que quica el erro sin esso se*

emiendara, y es tambien necessario que se le ponga la colera, o passion, que de otra manera aproxiçaria poco. Ni tampoco ha de corrigir qualquiera persona, aniendo otra que lo pueda hazer mejor: porque si ay Prælado, Maestro, pariente, o amigo, que lo haga, estos lo achen hazer, y pedirles que lo hagan. Mas si fueren negligentes, qualquiera estor a corrigido. Y tambien se ha de advertir, que se haga la correccion con mansuedumbre, blandicia, y buenas palabras, conforme a lo que dixè San Pablo Frater praecipuus sit homo in aliquo delicto, vbi qui spiritualis estis huiusmodi corripite in spiritu lenitatis. Aunque alguna vez seria necesario tener: quando si que huuisse de hazer la correccion, fuisse superior. Sic ille; cui adde Castrium Palaum tom. 1. tract. 6. disputat. 3. punct. 6. numer. 6. Calpenem in *Curso Theolog. tom. 2. tract. 17. disputat. 6. sect. 1. num. 12.* *Fillucium tom. 2. tract. 28. cap. 5. n. 116.* & alios.

4. Igitur ad decernendum quando licitum sit correptionem fratris differre, aut etiam corrumpere, quando verò illicitum, & peccatum mortale aut veniale, notanda sunt sequentia. Primum est, quòd ex dilacione correptionis timeatur in intermedio tempore lapsus fratris in peccatum mortale, aut ipsius mors corporalis in peccato mortali, aut eiusdem vel reipublicæ, vel etiam tertie personæ detrimentum notabile, quod vitari posset ipsa correptione fraterna: peccatum de se mortale esse eam differretur, cum id fiat contra charitatem in materia graui, & secundum est, quando nihil prædictorum timeatur, si correccio in aliud tempus differretur sine causa, talem dilacionem de se non esse peccatum pluiquam veniale: quia non fit cum graui Dei, vel proximi iniuria. Tertium est, si nihil iam dictorum timeatur, & aliqua iusta de causa iudicetur tempus opportuni expectandum esse: dilacionem non modo licitam, sed etiam debitam esse posse: vt quando multum est in expectare aliud tempus. Id relinquitur prudentis arbitrio. Et hæc omnia docet *Reginal. tom. 1. lib. 4. c. 21. num. 345.*

RESOL. XXXVI.

An teneamur sepius ad correptionem? Ex part. 7. tr. 3. Ref. 32.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè, & ideo Trullench in *Decalogum* tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. n. 4. sic ait: *Quòd si videris quætas, quoties proximus corripiendus sit: Respondeo breuiter, toties corripiendus esse, quoties speratur vtilitas arbitrio prudentis.* Ita ille, qui citat Siluestrum & Sotum; quibus ego addo Petr. à S. Ioseph. in *idea Theol. mor. lib. 3. c. 10. Ref. 7.* vbi docet post admonitionem secretam, semel vel pluries factam quamdiu spes probabiliter habetur de correptione per secretam admonitionem procedendum esse. Vnde Sanchez in *Opusc. tom. 2. lib. 6. capit. 2. dub. 7. numer. 11.* docuit quòd vt monitio secreta non prodese dicatur, non satis est, vt semel fiat & nec proficit, sed oportet iterum, atque iterum fieri, quamdiu speratur correccio per illam: non tamen est necesse expectare tempus longissimum, sed ad arbitrium boni viri. Et sic docet Malderus in 2. 2. *questio. 33. artic. 7.* & Nauarra de *Resistur. lib. 2. cap. 4. numer. 264.* & Fagundez in *Præcept. Eccles. tom. 2. lib. 4. cap. 3. numer. 311.* & alij.

RESOL. XXXVII.

Quo ordine faciendae sit correctio fraternalis? Ex p. 7. u. 3. Ref. 35.

§. 1. Respondeo. faciendam ordine, quem Christus Dominus in Euang. praescripsit: hic autem ordo a Christo praescriptus fuit. Primò, ut delinquens secretò moneatur: Corripue eum inter te, & ipsum solum, ait Christus, Matth. 18. Hoc tamen intellige, modò delictum sit occultum, ut patebit ex infra dicendis. Secundò, ut coram testibus corrigatur, si priuata, & secreta monitio nõ profuerit: si te nõ auerit, adhibe tecum adhuc unũ, vel duos, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Tertio, ut Praelato denunciatur, quoties correctio seruatim primis duob. modis non profuerit. Quod si non auerit eos, dic Ecclesiae, ait Christus postremò, si neque Ecclesiam auerit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.

RESOL. XXXVIII.

An modus praescriptus a Domino Matth. 18. in faciendae correctione contineat praecipuum, vel consilium solum?

Et an ordo correctionis praescriptus a Domino semper sit sub praecipuo seruandus? Ex p. 5. tractat. 13. & Milc. 1. Ref. 42.

Verba Christi Domini in supradicto loco non continere praecipuum, sed solum consilium, tradunt aliqui, quos notissime citat, & sequitur Hurtad. de Mendoza vol. 2. in 2. disp. 163. sect. 5. §. 207. vbi sic ait. Non erit difficile colligere, an illa verba Christi praecipuum contineant, an consilium? Pono esse praecipuum de correctione fraternali, item de praemoneitione secreta, antequam deferatur crimen occultè, & paternè ad alium, si æquè benè speratur profutura: aut parum minus. Item pono hoc praecipuum contineri in verbis Christi per similitudinem; assero tamen verba Christi, ut ab ipso dicta, non esse praecipuum, sed consilium, nec ibi praecipuum modum correctionis fraternalis, de qua disputamus. Bernard. de Arealis satis doctè hanc conclusionem docet, in quem tamen inuectus est P. Valent. tom. 3. disp. 10. punct. 5. §. 1. quem vers. ex quibus patet, intolerabilem, & singularem appellat; quia aduersatur communi sententiæ Theologorum, ac Patrum, nullique firmis innititur fundamentis. Et quidem non est singularis, siquidem D. Bonau. sequutus est opinionem eandem in c. 17. Lucae, Si peccauerit in te, &c. ait enim. Hic autem ordo congruitatis est, non necessitatis. Certum est non esse praecipuum de illo ordine seruando in peccatis venialibus. Item si de solis agitur mortalibus iniuriis, non est praecipuum de illis ciuilliter condonandis, quia possumus satisfactionem petere. Ut autem videas Bonauent. & Arealium non fuisse singulares, audi Maldon. Matth. 18. 15. Origenes inquit, in Matth. 6. de solis venialibus, siue contra nos, siue contra Deum factis locum interpretatur. Hieronymus, Hilar. Chrysost. Ambros. in c. 17. Lucae, August. serm. 16. de verbis Domini secundum Mattheum. Theophyl. & Euthymius de mortalibus; sed de his tantum quæ contra nos, non de his, quæ contra Deum fiunt. Nam ea non sunt dissimulanda. Hæc ille. Ergo non est praecipuum, quia dissimulatio nostræ iniuriæ non est praecipuum, quia licitè possumus eam non dissimulare, & petere possu-

Tom. VII.

mus satisfactionem, maximè cum publica est iniuria. D. Mald. ibid. ait, apertè illud esse consilium. Siquid enim est, inquit, Christi consilium, ut peccantem non acerbe acculemus, sed benigne corrigamus. Pater Salu. tom. 4. in Euang. tr. 17. cenet hanc opinionem Areali esse probabilem, quòd ibi late confirmat. Caietan. adductus id satis aperte dixit, affirmans meam iniuriam posse à me condonari, & accusari. Stella in Luc. 17. in illud, increpa illum, asserit, non posse certum ordinem praescribi. In his, inquit, regula certa dari non potest, quando licebit statim dicere Praelato, &c. At regula à Christo ibi insinuata certa est, censet ergo Stella eam non esse praecipuum de ordine correctionis Barthol. Pisanus accipit verba de peccato digno excommunicatione, in quo quia publicum, non obligat ille ordo. S. Thomas quoad. 1. 1. eum ordinem non colligit in occulta delatione, sed in publica, ut item 2. 2. q. 33. art. 7. & 8. Denique Pater Suar. lib. 10. c. 7. n. 13. quauis praecipuum naturale agnoscat, fateatur tamen id difficile colligi ex verbis Christinum, autem 15. ait difficilius esse praecipuum de inductione testium; & quauis S. Thomas censet eam esse praecipuum, ait Pater Suarez ab eo id non probari nisi quadam congruentia. Ratione probatur, quia remissio illa externa iniuriarum non est praecipuum, sunt duæ conditiones iniuriarum altera interna, qua deponitur odium, quod concipi poterat in eam iniuriantem. Hæc condonatio, seu odij carentia est de necessitate praecipui. Christus enim negauit nobis criminum veniam, nisi remiserimus fratribus de cordibus nostris. Secunda remissio est externa, qua iniuriam ferimus non petita satisfactione, sed volumus externè etiam reconciliare nobis eum, qui intulit iniuriam. Hoc consilium Christus, ut iam explicui, sed nihil horum est in praecipuo. Ergo, verba Christi non sunt praecipuum. Minor probatur, quia non est de se peccatum petere satisfactionem, nec expectare, ut eam faciat, qui intulit iniuriam. Quo enim praecipuo naturali aut positivo adstringitur affectus iniuria, ad conueniendum eum qui intulit: Hæcque Hurtadus vbi supra.

2. Sed pace viri doctissimi, hanc sententiam non approbo. Igitur cum D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. & 8. & communi Theologorum sententia omnino dicendum est, Matth. 18. praecipuum ordinem, quem in correctione seruare debeamus, atque ad eò quando adfunt conditiones ad hoc requisite, nos sub peccato obligari eum seruare. Probatur primò, quia est communis omnium fere Doctorum, paucissimis exceptis, qui nulla probabili ratione contrarium asserunt; quamquam nec illos credo generaliter contrarium velle asserere: siue nos nunquam obligari ad eum ordinem seruandum, sed forte solum voluerunt non ita sæpe occurrere omnes circumstantias necessarias, ut obligemur eum seruare. Secundò, quia hæc videtur etiam communis sententia Patrum, ut patet ex S. Aug. serm. 16. de verbis Domini, vbi hunc ordinem explicat Chrysostr. hom. 62. S. Greg. lib. 4. Registri, epist. 36. vbi ait: Et nos quidem seruamus, quod veritas praecipit, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, corripue eum inter te, & ipsum solum. Idem docent cæteri. Tertio, quia hoc in iure Canonico sæpe à Pontificibus aut asseritur, aut tanquam certum supponitur. Nam Innoc. III. c. cum ex inuincit. 12. de hereticis, §. Nec quisquam, ait Cum aliud sit fratrem in se peccantem occultè corripere, quod quisque tenetur efficere secundum regulam Euangelicam, &c. Et c. nouit de iudicis, cum recitasset dictum locum Matth. vocat eum regulam Euangelicam. Cum igitur omnis regula obliget, sequitur eo loco dari praecipuum. Item c. licet Heli 31. de simonia, apertè dicitur secundum regulam Euangelicam correctionem charitatiuam necessariò præcedere denunciationem. Et hæc omnia docet Coninch.

C c dispus.

diffin. 28. de charit. dub. 8. n. 138. Iacobus Granado in 2. 2. controu. 3. de charit. tract. 12. disput. 1. num. 3. Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 8. num. 4. Turrianus tom. 2. in 2. 2. disp. 89. dub. 2. conclus. 2. & 3. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 7. a. n. 10. Tannerus tom. 3. disp. 2. q. 6. dub. 5. num. 96. Filiuc. tom. 2. tract. 28. cap. 7. nem. 147. Becanus de fide, spe, & charitate, cap. 21. dub. 4. n. 30. Lorca in 2. 2. disp. 46. sect. 3. n. 26. Bañ. in 2. 2. q. 3. art. 8. dub. 2. concl. 4. Villalob. in summ. tom. 1. tract. 4. diffie. 9. & alij neoterici communiter.

Sup. hoc in Ref. seq. à §. Igitur. & infra in R. 40. & 44 §. 2. in tom. 5. tr. 7. R. 60. §. vlt.

3. Sed hic incidenter quærendum est, an ordo correctionis præscriptus, vt probatum est, à Christo Domino in supradictis verbis Matth. Si peccauerit in te frater tuus, &c. semper sit sub præcepto seruandus? Respondeo, in his casibus non necessariò seruandus est. Primò quando peccatum proximi est publicum; tunc enim non opus est præmittere secretam correctionem, sed potest publicè corripi. Ratio prioris partis est, quia secreta correctio instituta est, vt consulari famæ proximi, & peccatum illius non publicetur. Si ergo iam publicum est, non est opus secreta correctione. Ratio posterioris est, quia quando peccatum est publicum, tunc non solum peccato adhibendum est remedium, vt emendetur; sed etiam aliis, ne & ipsi liberius peccent, si videant publica peccata manere impunita. Hoc sensu loquitur Apostolus 1. ad Timoth. 5. 20. Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant. Secundo quando peccatum proximi tamen occultum sit, vergit in detrimentum aliorum, & nõ videtur efficaciter, ac tepelliuè occurrì posse per priuatam monitionem; vt si aliquis molitur clam prodicionem, vel incendium ciuitatis, aut si occultè inficiat alios hæresi; tunc enim immediatè ad Superiorem recurrendum est, vt efficaciter, ac tempestiuè impediatur eiusmodi malum. Ita D. Thomas art. 7. Ratio est, quia in tali casu pluri estimanda est salus aliorum, qui innocentes sunt, quàm fama vnius, qui nocens est. Tertio quando quis prudenter iudicat qualecumque tandem sit peccatum proximi se nihil effecturum, seruando ordinem correctionis, sed melius fore si relicta secreta monitione, vel inductione testium, immediatè procedatur ad Superiorem, vt is opportunum adhibeat remedium. Ita D. Thom. art. 8. ad 1. Ratio est, quia ordo ille institutus est ad emendationem proximi; si ergo prudenter iudicamus eiusmodi ordinem non profecturum, possumus illum intermittere, & id facere, quod ad eundem finem videbitur vtilius. Quarto quando proximus propter maiorem profectum spirituales paratus est, & paratum se esse proficitur, vt ipsius imperfectiones & peccata, tamen occultata, manifestentur Superiori, & ab eo corrigantur, nulla præmissa secreta monitione, & hoc laudabiliter fit apud quosdam Religiosos, qui suo iuri de conferenda fama in hoc puncto renunciant. Et hæc omnia docet Becanus, & alij vbi supra.

RESOL. XXXIX.

An supradictus ordo in correctione adhibenda cadat sub peccato?

Et an aliquando possit quis incipere correctionem fraternam, relicto primo gradu, à secundo gradu, & aliquando relicto duobus à tertio gradu incipere?

Ex part. 7. tr. 3. Ref. 36.

Sup. hoc in Ref. præterica. §. 1. Negatiuè respondent plures, inter quos sunt D. Bonauentura in cap. 17. Luc. vbi ait: Hic autem ordo congruitatis est, non necessitatis.

Bernardinus de Arevalo tract. de Correc. frat. per un. Salmeron. tract. 11. Maldonat. in cap. 17. Luc. ait enim: Spectandum, enim est Christi consilium, vt peccatorem non acerbe accusemus, sed benignè corrigamus.

2. Primum fundamentum huius sententiæ est, quia Christus in prædictis verbis non loquitur de peccato occulto, sed de iniuria illata, vt tradunt August. serm. 16. de verb. Domini, Chrysost. hom. 5. in Matt. D. Thom. in cap. 18. Matt. secutus gloss. ordinat. Maldon. ibid. & satis manifestè deducitur ex ipso contextu, si inspiciantur antecedentia, & subsequentia sermonem ibi esse de iniuria illata; nam accedens Petrus ad Iesum: Quoties peccabis in me frater meus, & dimittam ei? Quæ verba de propria iniuria intelligunt plures interpretes: quod etiam confirmatur ex Parabola Regis volentis rationem ponere cum seruis suis, & concludit Christus Parabolam, dicens: Sic Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Vergetur amplius Luca 17. vbi habentur hæc verba: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si penitentiam egerit, dimitte illi, & si septies in te peccauerit, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, ponit me, dimitte illi. Quæ verba manifestè sunt de remissione illatæ iniuriæ, & continent eundem sensum, ac verba Matth. 18. & ex illis conficitur valde efficax argumentum: quia non obstantè hoc præcepto, adhuc cum quis passus est iniuriam, potest coram Iudice statim petere recompensationem, non seruatò ordine correctionis fratris, & oppositum videtur esse contra bonum publicum, & contra praxim, & vñum: ergo talis ordo non assignatur à Christo sub præcepto, sed tantum sub consilio.

3. Secundum fundamentum est, quia quantum admittimus prædicta verba intelligi debere de omnibus peccatis, & non solum de remissione iniuriam, nihilominus Christus tantum locutus est de publica delatione, & iuridica, quæ fit Superiori tanquam Iudici, non verò de secreta, & paterna, quæ Prælati tanquam Patri: vt manifestè docet D. Thom. in hæc quaestione, art. 7. nam quærens, an admonitio secreta ex necessitate præcepti debeat præcedere delationem? Respondet de publica delatione peccati, cui applicat hæc verba Matth. 18. & concludit: vnde patet quod potest esse de necessitate præcepti, quòd secreta admonitio publicam denunciationem præcedat. Et ratio est manifesta, quia Christus idè voluit peccatum deferendum ad Ecclesiam, vt impetens accedat ad cæterorum communionem. Ecclesia autem delatione occulta id non potest efficere, nec quempiam excommunicare, nec delicta occulta possunt licite in vulgari: signum ergo est Christum ibi non loqui, nisi de delicto publico, saltem vno, vel duobus testibus, quibus possit plenè probari, aut semiplenè, non verò vno modo loquitur de denunciatione secreta ac paterna, quæ in delictis occultis fit Prælati, tanquam Patri.

Et pro hac sententia pugnant acerrimè Hurtados de Mendoza, vol. 2. disputat. 163 §. 207. & Salmeron tom. 4. in Euang. tract. 17.

Hic tamen non obstantibus affirmatiuè sententiæ adhæreo cum communi Doctorum sententiâ, quæ contra Hurtadum docui in part. 5. tract. 13. resol. 4. Et ita tenent, præter Doctores à me citatos, Valer. in sententia tom. 3. disputat. 3. quaest. 10. punct. 5. Suarez de Charitate, disputat. 8. sect. 6. num. 1. Sanchez in summa tom. 2. lib. 6. cap. 18. num. 44. Trullench. in Decretal. tom. 1. lib. 1. disputat. 5. dub. 16. n. 1. Galpat. Hurtadus disputat. 6. de Correc. difficut. 1. 3. & Franciscus Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correc. q. 7. n. 3. qui tamen

qui tamen asserit contrariam sententiam non esse errorem, & temerariam in fide, ut voluit Lorca 2. 2. *disp. 4.*

4. Probatur nostra opinio ex illo principio: *Que tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Item, *Omnia quaecumque volueris vobis fieri ab aliis, haec illis facite*. Item, *Diliges proximum sicut teipsum*. Id est, ea quae exoptas, tibi ex dictamine rectae rationis, haec eadem praesta fratri: & quae honeste, & ex recta ratione refugis, nec ulli facias: & ut tibi ita consultis, ut tua commoda quaeras sine incommodo, & duobus autem eligis quod minus te premit: ita te gere cum proximo tuo; sed nos optamus ex recta ratione, ut peccata nostra emendantur absque vlla fame iactura, & refugimus ex ratione aequa, ut nostra peccata absque necessitate vulgentur: nec volumus ut alij ea praedicent; sed ut secretò de illis moneamur: ergo tenemur occultum proximi peccatum ita emendare, ut nulla iactura honoris maculet proximum. Deinde, cum & duobus malis deterius sit peccatum, quam apud unum, duobus testes de honore aliquid amitteret: cum deterior sit publica criminis praedicatio quam occulta apud unum, aut duos, eligenda est occulta prius quam publica: cum verò salutis aeternae iactura deterior sit, quam publica infamia, iuris aequitas docet, eligendam infamiam, ne vivamus aeternum cruciandi.

5. * Igitur dico Primò, quòd ille in Evangelio de seipso non ita est praecipio determinatus, ut in omni euentu servandus sit, sed solum quando recta ratio dictaverit, quod servando singulos gradus procedendi est ipse subveniendi miseriae proximi. Probatur conclusio. Quia omnia praecipia affirmativa habent sua tempora, pro quibus obligant, ac recta prudentia praecipit media convenientia ad finem, v. g. praecipium est: *si esurierit inimicus tuus, ciba illum*: at verò si inimicus esurit, & petit cibum, quando febrili laborat, non est tempus adimplendi praecipium. Similiter etiam si mea correctio seorsum facta rationabiliter creditur nocitura proximo, non est à me exercenda, si quidem non ad alium finem ordinatur, nisi ad bonum proximi. Ex hac conclusione & ratione sequitur, quòd aliquando potest quis incipere correctionem fraternam relicto primo gradu à secundo gradu; & aliquando relicto duobus à tertio gradu, & dicere Praelato tanquam patri, ut ipse solus, vel coram corripiente corrigat delinquentem. Ratio huius est. Quia aliquando prudentia dictabit, quòd mea singularis correctio erit otiosa, vel etiam nociva, sed simul dictabit, quòd secundus gradus potest esse utilis, & tunc tenebor incipere à secundo gradu, quasi iam primum transiissem, & expertus essem, nihil profuisse: & eadem est ratio incipiendi à tertio gradu, quando secundus iudicatur inutilis, aut nocivus. Similiter sequitur propter eandem rationem licitum esse post primum gradum non procedere ad secundum aut tertium, imò & praecipium esse, ne proclamamus; quoniam recta ratio prudentiae dictat propter experientiam, quòd si proximus non corrigetur, vel deterior fiet; & tunc omnino à correctione cessandum est, sicut dicit D. Thomas. Quia tota ratio fraternae correctionis est sine proximo, qui est bonum singulare fratris, & somenda est. Ceterum modò non confidamus, an peccatum fratris sit per se Republicae perniciosum, tunc enim alia via sequenda est, ut postea videbimus. Et denique omnes illi gradus merito relinquuntur, quando nullam spem esse fraternae correctionis prudenter iudicatur.

6. Dico secundò, quòd quando prudenter iudicatur, quòd à primo gradu poterit prodesse fratri, & incipitur correctio à secundo gradu, peccatum est mortale. Probatur conclusio. Quia ita corrigens infamat fratrem apud alterum absque necessitate. Haec conclusio intelligenda est, quantum est ex parte ipsius actus. Ceterum talis circumstantia esse potest in tertia persona, vel personis, quibus reuelatur, quòd ipse peccator parum, aut nihil detrimenti patitur: tunc enim erit peccatum veniale, vel nullum peccatum. Eadem conclusio cum eadem intelligentia statuenda est de illo, qui incipit à tertio gradu relicto prioribus, quando prioribus adhibitis poterat prodesse fratri cum minori dispendio.

Ad argumenta verò pro negativa sententia adducta respondet Caspensis in *Cursu Theolog. tract. 17. disp. 6. sect. 2. num. 17.* & Doctores citati.

RESOL. XL.

An supradictus ordo in correctione semper cadat sub praecipio?

Et an aliquando potest quis incipere correctionem fraternam: relicto primo gradu, à secundo, & aliquando relicto duobus à tertio, & dicere Praelato tanquam Patri? Ex part. 7. tract. 3. Ref. 39.

§. 1. **R**espondeo negativè, ut videbitur in multis Resolutionibus sequentibus; & ideo Villalobos in *Summa tom. 2. tract. 4. difficultat. 9. num. 3.* sic asserit. *Este orden es à debaxo de precepto, como dicen todos: mas no es, ni convenientemente añadido de Christo a la ley de naturaleza, sino, que ella misma le dicta como dice latamente Banez, contra Arcualo. La razon es, porque segun la ley natural, estamos obligados à librar a nuestros proximos de la miseria del pecado, por el medio mas suave, y conveniente, y mas eficaz, que sea posible, y tal es este: porque la blanda amonestacion es muy buen medio: y si esso no basta, aunque sea algo mas duro, es bueno corrigirle delante de dos testigos, porque se averguence, y buelva en si: y si esso no bastare, si diga al superior como à Padre.*

Sup hoc supra in Ref. 38. §. vlt. & in Ref. 39. §. Igitur & infra in Ref. 44. §. 2. & in tom. 5. tit. 7. R. 60. §. vlt.

2. *Mas ha de se advertir, que este precepto no es de tal manera, que en todo caso se deua guardar este orden, sino quando lo dictare assi la razon, que guardandolo assi, ay esperança de la emienda, porque es precepto afirmativo, y ha de tener sus tiempos regulados por la razon. Por lo qual aunque muchas vezes la correccion comienza por el primer grado, alguna vez aurà de comenzar del segundo, y alguna dexar el primero, y el segundo, y acudir al Prelado, como à Padre, para que el corriga, y alguna vez dexarlos todos: porque no ay esperança de emienda, sino tenor de lo contrario.* Ita ille & communiter Doctores.

3. Et ideo notavit Hurtadus *vol. 2. disp. 163. sect. 30. §. 230.* aliquando immediatam delationem ad Praelatum esse de praecipio, unde ponit aliqua axiomata, & dicit Primò. Quando ego despero emendationem delinquentis per monita secreta; eam autem spero per delationem occultam paternam, teneor crimen occultè, & paternè deferre Praelato. Haec conclusio tam certa est, quam est certum praecipium de correctione fraternali. Quod me obligat ad emendationem delinquentis cum minimo damno, si non possum absque vilo: est etiam S. Thomae, & omnium Doctorum asserentium post monita secreta adhibendos necessariò testes, si delinquentis non emendetur. Ratio est, quia conscientia fratris, & salus aeterna praefèrenda est ex igno illi bono: item tunc ego me possum gerere, ac si peccatè monuissem, & ille non resipuisset; sed tunc teneor adire, aut testes, aut Praelatum. Ergo.

Sup hoc & sequentibus in hac Ref. in Ref. praeterita §. Igitur ante medium, à vers. Ex hoc, & infra in Ref. 49 & in alio §. eius not.

4. Idem dico, quando ego legitime excusor ab immediata delatione, ut si peccans arrepturus sit occasione me grauitur vexandi, aut si non possum sine graui, & proportionato damno proprio, vel alieno, tunc teneor adire Prælatum: quia teneor mede i fratri cum minimo damno ipsius, & meo. Idem est de quouis alio amico, aut priuato, quem teneor adire, si aliter non emendabitur, & hac ratione emendabitur.

5. Secundò, si ego non possum formare assensum probabilem, peccatorem emendandum monito secreto: at illum assensum efformo, eum emendandum per Prælatum, tunc teneor adire Prælatum. Hæc conclusio est ferè tam certa, quàm prima: quia si emendatio est tam difficilis, ut nullam generet spem: est ergo ferè desperata: ubi enim emendatio speratur prudenter per alium, per me autem non speratur; at certè non speratur: ergo in tali euentu non est deserendus proximus in peccato.

6. Tertid; si ego spem habeo dubiam de emendando peccante in damnum aliorum, & de illo vitando: at habeo spem multo maiorem eum emendatum iri per Prælatum, & vitanda aliorum damna, teneor Prælatum adire secreto, & paternè, si illa delatio speratur satis profutura. Moueor: quia S. Thomas in criminibus occultis vergentibus in aliorum damna asserit vitandum immediatà delatione, nisi firmiter speret se posse alia via per se continè illis occurrere: 2. 2. q. 33. art. 7. alij autem authores nisi ob spem certam existimant vitandum ea delatione. Probatu apertè: bonum commune tenemur præferre priuato, nec illud exponere graui incommodo ob incommodum priuatum. Nec enim licet periculo probabili exponere Republicam ob exigua aliqua damna priuata. In priuatis autem damnum priuatum est exiguum, incommodum autem publicum maximum, periculum probabile: ergo non licet tunc omittere delationem occultam paternam. Quod confirmo à medicina: Si Medicus format hoc iudicium probabile: Ager curabitur, si hæc leuis sectio fiat, sine illa verò dubius sum, aut parum spero illum euasurum; In hoc euentu tenetur Medicus leuem sectionem præcipere, aut consulere, ne totum hominem exponat neci: ergo.

7. Notandum est tamen hîc quòd si ego spero delinquentem emendandum per me licet non tam bonè, quàm per Prælatum, sed tamen absolute emendabitur, non teneor adire Prælatum.

8. Igitur ex dictis in hac & superiori Resol. dicendum est siue peccatum fratris sit tertio noxium, siue non sit; siue continuandum aut iterandum, siue non; modò constat quòd se non emendauerit per penitentiam, debere à te corrigi secundum ordinem hunc Euangelicum, cû tibi soli notum fuerit. Neque hoc est diffamare fratrem, sed cum aliquo detrimento in minori bono famæ maius erit bonum in conscientia curare: quomodo Medicus pro conseruatione totius corporis abscondit membrum minus necessarium. Imo vix vllum erit istud detrimentum, quia apud prudentes, quales adhibendi erunt, ferè tantumdem recuperabit frater penitendo, quantum amisit peccando.

RESOL. XLI.

An ordo circa adhibitionem testium sit seruandus quoad peccatum vni tantum notum? Ex part. 7. tractat. 3. Resol. 37.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Turianus in 2. q. 1. tom. 1. disp. 89. dub. 4. sed nouissimè cum Caietano, Durando, & aliis negat Franciscus del Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correctione, quæ n. 9. quia peccatum quod est materia præcepti correctionis fraternæ debet esse publicum, vel simpliciter, vel secundum quid. Sed quod vni tantum notum est, non est adhuc secundum quid publicum. Ergo confirmatur Primò, quia ego solus vidi feminam virginem deflorari, teneor tacere, imò si narrauero restituerè famam, & querere modum, qualiter eam absque infamia mea, vel sua restituerem, hoc non est verum, si ad corrigendum fraternam fecerim peccatam tenerer post admonitionem secretam inducere testes, quia tunc diffamaretur apud illos. Ergo. Confirmatur secundò, quia Christus in prædicto ordine loquitur non de correctione secreta quæ per hoc differt ab illa, quod respiciat peccatum aliquo modo publica, & quæ deferri possint ad Ecclesiam, & ab ea puniri. Ergo circa peccatum vni tantum notum, non est præceptum de adhibitione testium.

RESOL. XLII.

An quando delictum est occultum teneatur ad correctionem fraternam quis adhibere testes, etiam si illud peccatum antea non cognouerit? Ex p. 7. tr. 13. & Milic. 1. Ref. 41.

§. 1. **C**ausa practica est, & negatiuè sententiam tenet Durandus in 4. disp. 9. quæ 4. Vnde in fauorem huius sententiæ non grauat hoc apponere verba Ioannis Henriquez in compend. moral. cap. 28. num. 2. vbi sic ait. Quando el delito es tan oculto, que no lo sabe mas que un hombre solo, dene hazer la primera correccion à solas entendiendo y al culpado, y no dene passar mas adelante, ni hazer segundo aniso delante de testigos, aunque no se ayax emendado, sino dexarle que se este en su pecado. Porque la segunda correccion que se aia de hazer delante de los testigos se entiende, que han de ser de los hombres, que ya saben el delito por otro camino, para que el culpado no pueda negar su culpa: y assi si llamassen testigos, que no saben el delito por otro camino, el culpado puede negar su culpa: y assi los testigos no tienen mayor obligacion de creer al que corrige, afirmando que se cometio tal pecado, que al otro que lo cometio en secreto, dixiendo que no le cometio. Y si se dixesse que los testigos estan obligados à creer al hombre que corrige, que al corrigido, seguiria se de aqui que qualquier hombre de saluado, que quisiera hazer mal à otro, podria llamar testigos, y delante dellos corrigir falsamente, diciendo que no via mal, y que ya en particular, y à solas le aia corrigido secretamente, siendo todo falso, y deste modo podria hazer, que castigassen qualquier persona, que viniesse bien. Y si se concediesse que los testigos no estan obligados à creer a quien los llama, sino al hombre que niega, podrà el que niega, aunque sea culpado, querelarse de que el hombre que lo corrige, le da fama, y le quita la honra delante de testigos. Y no pudiendo probarse el contrario por ser el delito oculto, podria hazer que castiguen al que corrige con la pena del talion. Esta doctrina es de todos los Casos, y la trae Pedro de Nauar. tom. 1. lib. 2. c. 4. dub. 13. aunque los Theologos tienen el contrario. Ita Henricus ubi supra.

2. Sed nouissimè contrariam sententiam docet Jacobus Granado in 2. 2. contr. 3. de charit. tract. 2. disp. 7. num. 6. vbi sic ait. Respondent aliqui delictum adhibendos esse testes, qui illud peccatum antea cogno-

cognouerint, & quidem id verum esse, quando re-
perentur eiusmodi testes, & prodesse possent, sic
enim minus infamaretur delinquens; si verò non
reperirentur eiusmodi testes, adhiberi possunt & de-
bent alij, quibus crimen ad hunc finem detegatur;
quia licet hoc modo aliquam famam iacturam patiat,
ea censenda est minoris momenti, quam spirituale
dammum, quod patitur frater, dum in suo peccato
perseuerat. Et quamuis ij testes non aliunde accepe-
rint notitiam peccati, quam ab illo ipso, qui priuati-
m admonuerat, nihilominus multum prodesse po-
terit coram eis palam corrigere. Primò, quia sic maio-
ri robore suffundetur delinquens. Secundò, quia
magis & magis timebit iterum delinquere, sciens
esse iam plures, qui cognouerunt eum peccauisse,
postquamque si velit, illum solerter obseruare. Hæc
autem sine dubio magni momenti sunt ad emenda-
tionem. Ita Iacobus Granada, cui etiam adde Tan-
ner. tom. 3. disp. 2. r. 9. 5. dub. 5. n. 97. vnde huic poste-
riori sententiæ tanquam probabiliori adhaere.

RESOL. XLIII.

Quales testes adducendi sunt in secundo gradu cor-
rectionis, & in quem fiseum? Ex part. 7. tract. 3.
Refol. 38.

S. 1. **D**ivus Thomas in 2. 2. quest. 37. art. 8. ex
Divo Augustino, Chrysostomo, & Hie-
ronymo tres refert causas inducendi testes. Prima, vt
corrigens ostendat se prestitisse quod debebat erga
correctionem fratris, & munus suum implese. Se-
cunda, vt per testes delinquens possit postea ab Ec-
clesia conueniri, & probetur delictum. Tertia, vt
melius emendetur peccator, & qui vnum admonen-
tem contempsit, duos, vel tres reuereatur, & audiat.
Sed Lorca in 2. 2. disputatione 46. memb. 2. num. 20.
asserit quòd si hæc causæ rectè expendantur prima
inutilis est; secunda inutilis & nociua; & tertia sola
vera & ad mentem sacri Textus. Quod probatur. Nam
inducere testes eo fine, vt eorum testimonio constet,
corrigentem satisfecisse officio suo, inutile est:
quia cum hoc debirum correctionis ex sola chari-
tate oriatur, raro, aut nunquam eius solutio in foro
exteriori exigitur, vt necesse sit testibus comprobari.
Et præterea, cum primus gradus sit secreta admo-
nitio, hi testes postea induci testificari non poterunt,
an facta fuerit. At verò testes inducere, vt si cor-
reptus non paruerit, in iudicio deponant, inutile est,
& perniciosum: quoniam ille qui corripitur, si sciat
testes illos delatores crimen, timebit meritò, & ad-
monitionem non admittet, sed potius negabit delictum,
ne eorum testimonio condemnari valeat. Præ-
terea, quo pacto testes isti poterunt in iudicio testi-
monium ferre? Aut enim ex eo quod secreto cum cor-
repto actum est, & ex eius confessione? Aut postea
per se ipsos correptum explorantes, donec illum in
crimine deprehendant; Primum illicitum est, & con-
tra fidem secreti, nec talis testificatio in iudicio fidem
faciet. Secundum raro erit licitum, & nunquam
expedit; non enim oportet esse exploratores vitæ
alienæ, & plus habet veritatis, & doli speciem, quam
charitatis. Vnica ergo causa adhibendi testes est; vt
ab eis delinquens corrigatur; & idèd tunc solum
adhibendi sunt, quando speratur vtilitas, & appa-
ret necessitas, & tales qui in hunc finem prodesse,
& in alium obesse non possunt. Et hoc manifestè
constat ex textu. Quatenus enim dicitur, *Si eos non
audierit; significatur eo solo fine induci, vt audiantur.*
Et propterea disiunctim dixit vnum, vel duos,
quia vnus solus sæpè sufficit, eo quòd eorum testimo-
nium nihil probandum est. Quod autem dicitur, *vt in
ore duorum, vel trium sit omne verbum;* non idèd
dicitur, quia eorum testimonio vtendum sit in iudi-
cio; sed quia plurium testificatio, & admonitio, faci-
lius persuadet correpto, id quod agit, malum esse,
& emendatione dignum. Hucusque Lorca.

2. Verum Maldetus in 2. 2. quest. 33. art. 8. dub. 3.
Nauarra de Rest. lib. 2. cap. 4. num. 264. Bonacina
in Decalog. disp. 3. q. 4. punct. 7. num. 14. & recentiores
ferè omnes causas supradictas assignatas à Chryso-
stomo, Augustino, & Hieronymo admittunt, & in
defensionem dictorum Patrum contra Lorcam asserit
Franciscus del Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Cor-
rectione, q. 8. n. 9. quoad duas causas priores, quòd tes-
tes, qui ab ipsis existimantur inducendi propter illas,
non sunt ex illis qui nunquam habuerunt notitiam
delicti corrigendi, sed potius ex illis, qui nouerunt,
& testes fuerunt patrationis illius, qui optimè possunt
induci vt eidem comprobetur, tum quod corripens
se gesserit vt debebat in correctione fraternali, tum
etiam in iudicio si correctus non respuerit, nec se
emendauerit, quòd videtur nimis germanum Textui,
quia fratres inducendos à corripiente appellat testes
vnum vel duos, &c. & valde conforme rationi est,
quia magis prospicitur famæ proximi, nam sicut pro-
pter eam prius monemur de faciendâ correctione
fraternali, ita propter eam monemur postea de corre-
ctione coram testibus, quibus notum erat delictum,
vt eorum persuasionibus, & propter maiorem pudorem
correptus respiciat facilius, & suauis, & conse-
quenter melius attenditur eius salutem spirituali, quia
videns peccator quod ita prospicitur famæ eius, quod
non fiat alijs testibus notum delictum suum, intelligit
tantum quæri à corripiente eius spirituales salutem,
& emendam.

RESOL. XLIV.

An sit necessarium adhibere vnum testem aut duos in
correctione fraternali?
Et an quando peccatum scitur ab aliquibus illi sunt
adhibendi, & non alij testes? Ex part. 7. tractat. 3.
Ref. 54.

S. 1. **H**anc sententiam pertractat Sanchez in
Opus. tom. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 4. & obser-
uat duas adesse sententias. Prima tenet, prius adhi-
bendum esse vnum, deinde si hic non sufficiat alterum.
Probarur, quia Christus dixit, adhibe vnum,
vel duos, at coniunctio vel, ordinem denotat, scilicet
vt prius vnus adhibeatur; sicut denotat ordinem,
cap. Mandato, de præb. in 6. Secundò, quia Christus
ordinem correctionis instituit, vt proximi fama minus
detrimentum patiat, at minus patitur, si vni dete-
gatur crimen; ergo. Hanc sententiam tenet Sotus
memb. 2. quest. 4. in fine sextæ conclus. & Flores mat. de
Corrept. diff. 6.

2. Secunda sententia tenet istum ordinem non
esse sub præcepto, sed posse simul ambos adhiberi
testes, licet melius sit, prius adhibere vnum. Ratio,
quia non excusatur sic infamia; cum hæc ex eo pro-
ueniat quòd multi sciant alicuius delictum; ergo,
quòd duo sciant delictum, siue simul, siue successiue,
parum refert. Secundò, quia minus prodest correctio
priori modo facta, nam magis erubesceret, & retraher-
etur à peccato coram duobus admonitus, quam cor-
am vno. Hæc sententia probabilior est, & illam tenent
Abul. cap. 18. Matth. 9. 102. & Nauarra. c. inter
verba, corol. 46. n. 575.

3. Notandum est tamen hic etiam, quòd
quando peccatum scitur ab aliquibus, illi sunt adhi-
bendi,

Sup. hoc in
fine Ref. seq.
& in Ref. 1.
post seq.

Sup. hoc su-
pra in Ref.
38. §. vii. &
in Ref. 39. §.
Igitur, & in
Ref. 40. & in
quòd duo sciant delictum, siue simul, siue successiue,
parum refert. Secundò, quia minus prodest correctio
priori modo facta, nam magis erubesceret, & retraher-
etur à peccato coram duobus admonitus, quam cor-
am vno. Hæc sententia probabilior est, & illam tenent
Abul. cap. 18. Matth. 9. 102. & Nauarra. c. inter
verba, corol. 46. n. 575.

Sup. hoc in
Ref. præteri-
ta & in alijs
eius annot.

bendi, & non alij testes; quia lex Charitatis postulat, vt saluti spirituali proximi, cum minimo fama dispendio consulatur.

RESOL. XLV.

An qui in correctionem testes adhibuit, teneatur adhuc alios adhibere?

Et si peccatum ab aliquibus scitur, & coram illis potest sufficienter corrigi, illi sunt adhibendi, & non alij delicti ignari? Ex part. 7. tractat. 3. Refol. 53.

§. 1. **R**espondeo Bonacina *disputatione tertia, questione quarta, punct. 7. numero 16.* posse alios testes gradatim adhibere, sed non teneri. Quod possit; ratio est, quia nulla sufficienti ratione probatur non posse, cum hac ratione speret respicientiam, & famam delinquentis prospiciat. Quod vero non teneatur, ratio est; tum quia sufficienter charitatis ordinem seruauit iuxta prescriptum Euangelij: tum quia non tenetur tantum incommodum lubire, cum frequenter, magis onerosum sit testes sapius adhibere, quam delinquentem Prælato vnica vice denunciare. Ita ille.

2. Sed non deferam hic apponere pro praxi verba Trullench, *in decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 16. num. 1.* vbi sic asserit. Si frater non emendatus fuerit adhibeantur vnus, aut duo testes, etiam delicti ignari, vt coram eis corripiatur, toties, quoties moraliter speratur emenda: quamuis peccatum sit omnino occultum, & non in alterius, sed solius peccantis damnus. At si scitur ab aliquibus, & coram illis potest sufficienter corrigi, illi sunt adhibendi, vt tenet Sanchez cum Tabien. *verb. Correctio, num. 2. in consiliis, part. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 7. num. 4.* quia lex Charitatis postulat, vt saluti spirituali proximi quam minimo fama dispendio fieri possit, consulatur. Non tamen tenemur vnum testem prius, (quamuis hoc melius sit) & alterum posterius, sed possunt duo simul adhiberi, vt efficacior sit correctio. Hucusque Trullench. Et de hac Quæstione *suprà* etiam aliquid dictum est.

Sup. hoc supra in Ref. 42. & infra in Ref. 58. & lege eam a principio.

Sup. hoc in Ref. 1. not. præteritæ §. vlt. &c.

Et pro vlt. huius Ref. in Ref. præteritæ §. 1. & seq.

Sup. in Ref. que nunc hanc sequetur.

RESOL. XLVI.

An quis in correctione teneatur in testium numero gradatim ascendere, antequam Prælato denunciatur? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 40.

§. 1. **R**espondeo negatiuè cum Maldero *in 2. 2. D. Thom. questione 33. art. 7.* Ordinariè hoc non esse necessarium. Si enim grauius sit fratri, malè audire apud Prælaturam, quam apud decem testes; considerandum est, grauius etiam esse, tot adhibere testes corrigenti, quam semel indicare Prælato. Quovsq; ergo charitas consulet famam delinquentis, præcepto non erit nimium oneranda anxie conscientia corripientis.

2. Notat verò idem Malderus, quòd si speres vno teste adhibito corrigendum fratrem, teneris adhibere tantum vnum: vult enim Dominus vnum aut duos adhiberi, prout videbitur necessarium. Alioquin in hoc secundo gradu istam latitudinem obseruauit D. Hieronymus, vt prius vno teste adhibito moneatur: nam etiam tunc in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Ipse enim corripientis etiam testis est: idè què dicitur: *adhibe tecum adhuc vnum.* Obseruant id passim Doctores, & interpre-

Sup. hoc supra in Ref. 44. & prope finem Ref. 45.

tes, quamuis Maldonat. in secundo gradu plures testes requirat, vt quadret illud Deuteronij quod adducitur, *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Sed non videtur otiosum, quòd sub distinctione Dominus dicat, *Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos.*

RESOL. XLVII.

Quando peccatum censendum sit publicum, vt licet, prætermisso primo gradu priuatae monitionis, corrigere publicè coram aliis?

Et quid, si possim priuatiè corrigere eum, qui publicè peccauit, teneor ne nihilominus arguere publicè ante Prælato denunciare? Ex part. 7. tractat. 3. Refol. 41.

§. 1. **R**espondeo; Salua lege naturali in Euangelio declarata, poterit ille sine prætermissione coram aliqua communitate argui, cuius peccatum innouit maiori parti illius communitatis.

2. Quæres, quid si possim priuatiè monendo corrigere eum, qui publicè peccauit; teneor ne nihilominus arguere publicè, aut Prælato denunciare?

Respondeo, in eo casu fratrem non esse denunciandum necessariò, neque arguendum coram publico, nisi scandalum quod passus fuit, alter reparari non possit; aut nisi eo publicè reprehenso, etiam illi sint corrigendi, qui ipsius exemplo deliquerunt. Rectè tamen talis denunciabitur Prælato inquitentibus: bet enim ius inquirendi, & iudicandi de publicis. Et ita docet Malderus *in 2. 2. D. Thom. q. 33. art. 7.* Vide etiam Valentia, & Couarruias in *Epistola 4. Decret. part. 2. cap. 6. n. 13.*

RESOL. XLVIII.

An quando peccatum est notorium notorietate facti, ita vt non possit vlla reuergentatione celari sit seruandus ordo in correctione faciendâ, ita vt præcedat secreta admonitio? Ex part. 7. tractat. 3. Refol. 42.

§. 1. **R**espondeo negatiuè cum Coninch. *de Char. disp. 28. dub. 8. n. 147.* Valentia *tom. 3. disp. 3. quest. 10. punct. 5.* Castro Palao *tom. 2. tract. 6. disp. 3. punct. 13. n. 3.* Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 4. disp. 10. n. 2.* Filliucius *tom. 2. tract. 28. c. 7. num. 149.* Trullench. *in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 16. n. 2.* alij communiter; quia quando peccatum proximi est publicum, tunc per denunciationem immediatè Superiori factam, ille non infamatur, quia iam est infamis. Ergo.

2. Nihilominus tamen Adrianus, & Paludanus, viri doctissimi, volunt hanc sententiam aliquando exceptionem admittere: sæpe enim sperari potest, vt etiam notoriè peccans per admonitionem emendetur; & quando hoc contingit; æquum est, prius admoneri, quam deferatur. Quam limitationem veram existimo; quia in peccatis que ignorantia, vel subita passione committuntur, etiam notoria sunt, non est quare desperetur emendatio per monitionem. Et quamuis hic non vigeat conferuatio famæ, expedit tamen vitare illa damna & incommoda, que ex iudiciali condemnatione sequuntur. Sed est admittenda hæc limitatio in peccatis que soli peccanti nocent; non tamen in his que tertio, vel communitati dampnum inferunt, in quibus, etiam si ad negotia non

non sint, raro potest expectari privata correptio; Admonitio autem, quam dicimus praeferri posse, non oportet ut sit secreta: nam siue secreta, siue publica sit parum refert.

3. Sed dices, Omne peccatum quod est notorium, videtur esse contra bonum publicum ratione scandalali: & praeterea contra bonum publicum est, si peccata huiusmodi maneant impunita, quia indulgentia excitat alios ad peccandum. Hac ratione videtur S. Thom. in 2. 2. q. 33. art. 7. ex Augustino, ut probet, in his peccatis non esse locum admonitioni. Sed si recte attendamus, licet omnia peccata publica qua talia sunt, apta sint scandalum inferre, non omnia inferunt: nam pro qualitate personae & peccati potest contingere, ut peccatum publicum tantum sit infamia peccantis, & non sit alius occasio peccati; & multa peccata etiam publica, non solum conuenienter; sed etiam necessariorum impunita relinquuntur ad vitandum maiora mala. Vtrumque patet in peccatis meretricum, & aliis similibus. Quod ergo S. Thom. dicit, frequentius euenit; & ideo vera est regula generalis: sed oppositum aliquando potest contingere; & ideo admitti potest exceptio. Et haec omnia docet etiam Lorca in 2. 2. *Diui Tho. disp. 47. Regul. 3. num. 37. & 38.*

RESOL. XLIX.

An, quando non speratur fructus ex correptione fraternali, sint adhibendi testes, vel his omissis recurrendum ad Superiorem. Ex p. 7. tr. 3. Ref. 43.

Respondeo affirmatiue, & ideo quando ob naturam peccantis aut alias ob causas prudenter credo me omnino inutiliter per me aut alios priuatos proximum monitorem antequam eum denunciem Superiori: tunc enim possum eum statim hinc denunciare, quia frustra illa praemitterem. Quod maximè locum habet, quando observatio illius ordinis crederetur non solum inutilis, sed etiam nocua futura, eo quod alter monitus in odium mentis exarsceret, aut emendationem simulandam correptionem eluderet. Et ita docet Suarez *disp. 8. de Charit. sect. 6. n. 17.* Castus Palauus *tom. 1. Filiucius tom. 2. tr. 28. c. 7. n. 115.* & Coninch *disp. 28. de Char. dub. 8. n. 152.* Vnde Trullench *in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 5. dub. 16. n. 2.* sic asserit. Si probabiliter sciam proximum mea secreta monitione non esse emendandum, possum illam omittre etiam si delictum sit occultum, & coram testibus corrigere; immo si existimem, correptionem, nec coram testibus esse profuturam, vel non adfunt testes idonei, eo quod timeam, eos peccatum reuelaturos, possum statim Praelato, ut paui, reuelare, seu denunciare, & testes praetermittere: nam tenemur proximo subuenire; ac aliter, ut supponimus, mederi non potest: Ergo. Ita ille, qui etiam addit, quod si probabiliter credam, nec mea secreta monitione, nec coram testibus, nec à Praelato peccatorem esse emendandum, possum totam correptionem omittre, & illum Deo commendare.

2. Vnde non desinat hic apponere verba Duuallij in 2. 2. *D. Th. tr. de Corrupt. q. 9. art. ult.* vbi sic ait: Notandum verò est, ad hoc vt testes debeant ex praeepto adhiberi, duo requiri; Primò, vt priuata monitio nihil quilibet profuerit, vel certò non putetur profutura, etiam si bis, terte fiat: nam si quis speraret se post trinam monitionem priuatim factam, esse profuturum, monitionem illam ter deberet adhibere, antequam ad testium adhibitionem

veniret: nisi fortè in dilatione esset periculum; ne peccatum ipsum non emendatum alius noceret; vel quod ipse peccator denuo peccatum suum repeteret, tunc enim deberet statim adhibere testes. Vbi obserua inter has tres monitiones debere esse aliquod temporis interuallum: nam si quis vna hora eas perficeret, non est dubium, quin moraliter pro vna tantum haberentur; quantum autem temporis debeat inter illas monitiones intercedere, non potest tradi regula generalis, sed istud per prudentiam, qua rationem circumstantiarum, & vtilitatis ipsius correptionis, habet, est diiudicandum. Secundò, vt spes sit hanc testium adhibitionem fore profuturam, & non obfuturam; si enim putaretur non profutura, non est dubium, quin esset omittenda, non minus quam ipsa tota correptio, cuiusque ordo, quando nullius vtilitatis fore coniecturatur, sed statim ad denunciationem deveniendum esset. Ratio est, quia totus ordo correptionis, quem Christus *Matt. 18.* praescripsit, est iuris naturae: non tantum secundum substantiam singulorum actuum, sed etiam secundum illorum ordinem: nempe vt primò moneatur priuatum proximum, postea adhibeantur testes; tertio denunciatur Ecclesiae, seu Praelato, qui bis, terte eum admonebit: quod si pertinaciter peccato suo adhaereat, eum excommunicabit. Hi autem actus non ita sunt iure naturae, aut praeccepto ipsius Christi praescripti, vt semper eos in corripiendo fratre exercere debeamus, sed solum quando adfunt debita circumstantiae, ob quas prudentia iudicabit ipsos adhibendos esse, vel non adhibendos: vnde sicut priuata admonitio non debet adhiberi, nisi quando per eam spes est emendationis: ita neque testium inductio, & saepe fit, vt aliquando vnus actus, aliquando plures, aliquando omnes sint omittendi: qua in re magna circumspectio opus est, & dicam ingenuè in omnibus actibus charitatis nullum esse, qui plus prudentia, quam correctio fraternalis, indigeat. Hucusque Duuallius; Quae omnia maximè pro praxi aduertenda sunt, & de hac quaestione iterum redibit sermo.

RESOL. L.

An in Religionibus sine praesentia correptione fraternali peccatum occultum fratris possit quis denunciare Praelato tanquam Patri?

Et an in tali casu possit Praelatus cum suis Consultoribus, si necessarium sit, agere de illo peccato?

Et an doctrina supradictae quaestionis procedat in aliqua Religione, in qua adest statutum, vt qui nouerit peccatum socij, denunciaret Praelato, non praemissa correptione fraternali?

Et notatur, quod non sit deueniendum ad denunciationem Evangelicam, & multo magis ad iudicalem, si antea non adhibeatur correctio fraternalis. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 37.

Affirmatiuam sententiam nouissimè mordicus tenet Turrianus *tom. 1. 2. disp. 89.* Sup. hoc in Ref. seq. *dub. 4.* vbi citat Bonauenturam, Angelum, Rosellam, & Araualum, & addit in tali casu posse Praelatum cum suis Consultoribus, si necessarium sit, agere de illo peccato. Vide etiam Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 18. n. 46.* & Suarez *tr. de charit. disp. 8. sect. 6. n. 22.* Probatur haec opinio, quia fructus vberior spiritualis illius fratris, meritò praependerit iactura illius fama.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto cum Tannero *in 2. 2. disp. 2. q. 5. dub. 5. n. 106.* qui citat Adrianum, Syluestrum, Sotù, Bañez, Nauartum, Valentiam, Humbertum, Hugonem Victorinum, & D. Thomam; quibus ego addo Rodriguez *de ordine* C c 4 iudiciario,

indiciario, cap. 9. n. 5. Thomam à Iesu lib. de vifst. tract. 1. c. 9. n. 1. & 6. Lorcam in 2. 2. fect. 3. disp. 47. n. 9. & Io. de la Cruz in direct. confuent p. 1. prac. 5. art. 2. dub. 5. concl. 1. Becanum in 2. 2. c. 21. dub. 4. Mirandam de ordine indicario, tom. 1. q. 11. art. 4. & Sayrum in clauis Regia. lib. 11. c. 4. n. 10. & seq. Ratio est, quia Christus Matt. 18. præcipit; vt correctio præmittatur antequam peccatum fratris Superiori denunciatur; ergo hoc faciendum est. Deinde frater debet corrigi, quantum fieri potest cum minima iactura suæ famæ, quia id ipsum exigit charitas, vt frater suo quam minimo damno corrigatur, neque ad villam infamationem coram altero procedatur; si absque hoc factis corripi possit, neque fas est solùm propter maius bonum spirituale alicuius famam, aut fortunas eiusdem ledere. Vnde patet responsio ad contrarium argumentum. Adde quod ex huiusmodi denunciationibus, non præmissa correctione, generantur odia, & dissensiones inter correptum, & denunciantem, & nociuæ sunt paci communitatis.

Sup. hoc inf. in Ref. 42. & sup. in tr. 1. Ref. 240. §. vit. in tribus eius. vt. lin.

3. Limitatur tamen supradicta opinio, quod non proceditur aliqua Religione, in qua adest statutum, vt Prælati, non præmissa correctione fraterna; nam in tali casu huiusmodi Religiosi cedunt iuri suo; videlicet quod secus ordo fraternæ correctionis prætermittatur; & ita faciunt Religiosi Societati Iesu, cuius constitutionem optimè defendunt Suarez tr. de fide, disp. 8. fect. 6. n. 12. & 17. Coninch de act. supernat. disp. 28. dub. 12. n. 121. Laym. in Theol. mor. lib. 3. fect. 5. tract. 3. p. 2. c. 4. n. 5. Valentia in 2. 2. q. 10. punct. 5. Sanctarellus super decal. lib. 2. c. 69. n. 211. Rodriq; in exercit. spirit. tom. 3. tract. 8. c. 6. Sanchius in selectis; disp. 46. n. 28. Sanchez in sum. tom. 2. lib. 6. cap. 18. n. 50. Ribadeneira de instit. Societ. Iesu, cap. 34. Peregrinus in constit. Cler. Regul. p. 3. cap. 9. littera P. §. 2. concl. 14. Syluius in 2. 2. q. 33. art. 7. concl. 3. Malderus etiam in 2. 2. q. 33. art. 8. §. arguitur secundo. Becanum in 2. 2. c. 21. dub. 5. n. 33. & alij. Quidquid in contrarium aduersus tale statutum asserat Lorea in 2. 2. q. 33. art. 8. fect. 3. disp. 47. n. 12. & seq. cum Ledesma in sum. tom. 2. tract. 4. c. 4. concl. 24. §. dico secundo. & Colma Philiarcho de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. cap. 14. quorum sententiam tanquam probabiliorum nouissimè die 24. Aprilis 1627. lequuta est Academia Salmaticensis, teste Hieronymo Rodriq; in compen. qq. Regul. resol. 36. n. 13.

4. Notandum est tamen hic obiter, quod Doctores primæ sententiæ in praxi eam deducendam esse putant, quando Superior, cui tanquam Patri reuelatur peccatum occultum fratris, est vir prudens, & discretus, secus autem si sit vir imprudens, violentus, vel subditis non bene affectus; nam in tali casu etiam supradicti Doctores asserunt minimè talem denunciationem esse faciendam, & aliter facientes peccare. Sed tu absolute nostram sententiam tene, nempe non esse denunciandum peccatum occultum fratris Superiori, tanquam Patri sine praua correctione fraterna, nisi, vt dictum est, in aliqua Religione aliter per constitutiones cautum sit.

Sup. conten- to in hoc §. inf. in Ref. 58. 59. & 60.

5. Notandum est etiam hic obiter quod Octavianus Spatarius in practica de modo corrigendi Regulares, v. 5. c. 1. n. 4. & c. 3. n. 4. existimat, non esse deueniendum ad denunciationem Euangelicam, & multò magis ad iudicialè, si ante non adhibeatur fraterna correctio.

RÉSOL. LI.

An in Religione sit licitum reuelare Prælati vt Patri peccatum occultum fratris absque praua correctio-

ne quando melius est per ipsum Prælati correctio. Et inferitur, quod quando Episcopi, Vistitates, & Prælati Religiosorum, & alij Superiores Regulares aut seculares Ecclesiastici præcipiunt sub excommunicatione ipso facto, vt scientes crimina reuocentur terminum, sibi reuelent, semper intelligendum esse seruatò ordine correctionis fraternæ, aliter non est illis obediendum. Et si aliquis Prælati expresse præcepit contra hunc ordinem, & ipse peccabit præcipiens, & obediens. Ex p. 7. tr. 3. Ref. 44.

§. 1. Affirmatiuâ sententiam docet Suarez disp. 8. c. 9. & 10. Castrus Palaus tom. 1. rr. 6. disp. 3. p. 4. n. 2. Trullench in Decal. to. 1. lib. 1. c. 5. dub. 16. n. 2. vbi sic ait: Item si monito facta Prælato creditur esse veritas, quam si fiat coram testibus, eo quod Prælati est discretus, prudens, & sanctus, possumus omittis testibus Prælato tanquam Patri, erimen deferre: nam sic consulitur bono proximi absque eius damno.

2. Probatur hæc opinio, quia Medicus corporalis prudenter vitur acerbiori medicina, quamuis non sit valde necessaria, si tamen est valde utilis. Ergo etiam correctio per Prælatum non sit necessaria simpliciter, si tamen est valde utilis, & efficacior secreta correctione, poteris hac omittis delictum ad Prælatum deferre. Quod in Religionibus, vt bene dicit Suarez, ferendum est; in aliis vero, quia magis sunt iuri, nisi notabilis fructus speretur pro certo, non est admittere hæc sententia.

3. Et addit Palaus in Religionibus semper præferendum esse melius subditum delinquentem per Prælatum corripiendum esse, quam à quolibet seculari, dum contrarium non constat. Tum quia Prælati occasiones peccati remouere potest, quas non potest alius subditus. Tum quia ipse Prælati præuenit, & remedia applicare potest, quæ per alios subditos non possunt applicari. Tum quia difficilius subditis simulare potest Prælati emendationem, quam tantis facili negotio simulare potest alteri fratri; sic late expendit Suarez tom. 4. de Relig. lib. 10. c. 9. n. 11. & hæc omnia docet etiam Coninch disp. 28. de Char. dub. 11. n. 202. & Doctores quos citat & sequitur Hurtado de Mendoza, vol. 2. disp. 163. fect. 6. §. 81. & seq. quibus etiam consentit Francisc. del Castillo in 3. sent. 2. disp. 6. de Correl. q. 8. n. 4.

4. Non desunt tamen Doctores negatiuæ sententiæ adherentes, quos citat & sequitur Lorea in 2. 2. disp. 47. n. 9. vbi sic asserit: Hæc sententia nullo modo probabilis est, & omnino asserendū est neque in Religionibus, neque extra fas esse denunciare Prælato eum vt patri, delictū occultum, omittis propria admonitione, si ea speratur utilis; nec præceptū Prælati, aut constitutio religionis exulare possunt à culpa, necdum obligare, quia iniusta erunt, & contra diuinam & naturalem legem. Hæc est sententia S. Tho. ar. 1. 7. ad 5. Dicendum quod Prælati non est obediendum contra præceptum Domini. Et ideo quando Prælati præcipit, vt infirmiter catur, quod quis sciuerit corrigendū, intelligendum est præceptum sanè, saluo ordine fratrenæ correctionis, & ue præceptū fiat cõmuniter ad omnes, (id est per constitutionem) siue ad aliquè specialiter. Sed si Prælati expresse præcipiet contra hunc ordinem, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, & c. Eandem sententiã docent expofitores S. Thomæ, hoc loco, Sotus in 4. dist. 2. q. 4. concl. 3. dub. 3. Adrianus in dub. ilo. Offic. quod est de ordine correption. Abulen sis q. 84. Paludanus q. 4. Gabr. lect. illa 74. Anton. §. 4. Arnil. n. 7. Syluest. q. 4. Nauar. cap. 17. & à fortiori Nauar. & Hugo Viçt. delegati præcedenti disputatione, qui etiam vt patet negant manifestari posse prius quam aliis testibus.

5. Probatum primò Quia Christus illum primò gradum correptionis expresse tradidit; & vt latè ostendimus, præcepit vniuersis, & sine exceptione: ergo nullum sine tementate excipere possumus, nisi exceptio oriatur ex ipsa natura rei, quia nimirum admonitio secreta non speratur profutura; & qui aut omnino excludunt, aut aliter restringunt, gratis, & contra Christi decretum opinantur. Secundò, quia præceptum hoc inmittitur legi naturali propter duas rationes, quas attigimus disp. præced. nempe vt conseruetur fama & honor proximi, & quia ille modus corripiendi, sicut est (suauior, ita natura sua accommodatior, & efficacior ad reuocandum hominem à peccato. Nec rationes istæ non vigent in manifestatione, quæ Prælato fit; quin potius vehementius vigent, quoniam quicumque subditus multo plurius æstimat bonam famam, & integritatem nominis apud Prælatum suum, quam apud multos alios; & si ex manifestatione criminis timeri potest, (vt Patres dicunt) impudentia, & obstinatio peccatoris, & ideo fieri non debet, nisi postquam alia via salutis desperata est; multo amplius timeri potest ex manifestatione, quæ Prælato fit; quæ plus doloris, & confusionis ingerit subdito, quam si multis aliis fieret. Et præterea augetur inconueniens; quia ex huiusmodi delationibus, non præmissa admonitione, facile generantur odia, & dissensiones inter correptum, & denunciante, & nociuæ sunt paci communitatis. Neque in religionibus potest inueniri specialis ratio, cur Euangelicus ordo præmittatur; quia nec religiosorum fama vilis est, sed potius maioris pretij, quam secularium: nec minus sperari potest, secretam admonitionem profuturam religiosi, quam alicui, sed magis; non enim religiosi sunt duriores, aut incorrigibiliores cæteris, nec cætera incommoda minus in religione vigent, quam extra. Quare et si Prælati aprior videatur ad correptionem, vel maior aliqua spes vtilitatis esset in ipso, nihil refert, si is, qui nouit delictum, sufficienter est aptus, & sufficienter ex sua admonitione sperat vtilitatem. Verè tamen ad correptionem fraternam; quæ solum tendat in bonum delinquentis, & non miscat authoritatem Iudicis non semper Prælati erit aprior, & vtilior; aliquando enim non erit. Et quamuis si subditus sciat, omnia peccata sua occultam manifestanda esse Prælato, aliquem terrorem concipiet, quo magis à peccatis ablinebit: sed quia terrore iste incurritur cum iniuria subditi, non potest censeri medium vile, & licitum ad cauenda peccata. Quemadmodum licet plus timerent homines, & retinerentur à culpa, si liceret, omnem qui peccat statim esse iugulandum; non tamen ideo iusta esset lex quæ præciperet, omnem, qui peccat, iugulari: Huc videtur Lorca.

6. Hanc etiam sententiam docet ex Societate Iesv P. Fagundes in *Decal. tom. 2. lib. 8. c. 7. num. 9.* vbi sic ait. Scio esse aliquos Doctores, qui audent affirmare in eo casu, quo quisque Religiosus priuatus præmissa admonitione fraterna, æquè bene ac Superior possit occulto sui fratris peccato occurrere, siue illud vergat in damnum aliorum, siue solum in priuatum damnum peccantis, posse adhuc licitè id reuelare Superiori, relicto, & prætermissa fraternæ correctionis præcepto, & teneri illud reuelare, si id Superiores impetent præcepto aliquo generali, vel speciali. Ita Richard. in 4. dist. 19. art. 3. q. 1. ad 2. & Gabr. in *Canone Missæ, quest. 4. num. 4. in fine.* Fundamentum illorum est.

7. Primò, quia non videtur probabile esse ea, quæ in communi consuetudine omnium Religionum sunt contra præceptum Christi, sed consuetum est in omnibus Religionibus, quòd in Capitulis aliqui contra aliquos proclamant de culpis, nulla secreta ad-

monitione præmissa: ergo videtur quòd hoc non sit de necessitate præcepti, infertur rectè posse vnumquemque Religiosorum reuelare peccata graua occulta cuiusvis Religiosi Superiori suo, vt ea emendet, maxime tanquam Patri, omni secreta admonitione prætermissa.

8. Secundò, quia non obstat infamatio illius Religiosi, cuius delicta occulta Superiori tanquam Patri reuelantur: nam apud pium, & prudentem Prælatum, & fidelem amicum, cui ea reuelantur, & qui non sit ei nociturus, sed profuturus, vel nullam patietur infamiam, vel leuissimam, vt patet.

9. Tertio, quia cum huiusmodi reuelationibus seruetur puritas, & perfectio Religionum in sua primæua disciplina, & ex illarum omissione destruitur puritas, & perfectio earum: quare si moraliter certum sit, quòd pius & prudens Superior ex tali reuelatione non sit processurus ad remedium, & bonum Religiosi delinquentis, non erit necessaria, & cessabit talis monitio.

10. Quarto, quia esto incurrat infamiam apud ipsum Superiorem, tamen conscientia, & salus animæ præferenda est bonæ famæ, bona enim temporalia, & inferioris ordinis, & famæ, & diuitiæ posthabenda sunt bonis spiritualibus, saluti videlicet animarum, & fratris deertantis emendationi.

11. Verum hæc opinio stando in iure communi, nullo modo est probabilis; stando verò in iure, & statutis aliquarum Religionum, statim dicemus: quare eius rationes & fundamenta sic soluntur.

12. Ad primum dices: proclamationes illas, quæ in Capitulis Religiosorum absque vlla secreta admonitione fiunt, esse de aliquibus culpis leuibus, quæ famæ non derogant, & esse potius quasi quasdam commemoraciones obliuatarum culparum, quàm accusationes, aut denunciations: vnde si essent aliqua de quibus frater infamaretur contra præceptum Domini ageret, qui in talibus proclamationibus peccatum fratris publicaret: ita, & optimè respondet Diuus Thomas 2. 2. *quest. 33. art. 7. ad 4.*

13. Ad secundum dices, falsum esse non manere Religiosum iufamatum cuius delicta pio, & prudenti Superiori, qui potest prodesse, & non obesse, tanquam Patri manifestantur: multo enim grauior est infamatio apud vnum grauem, & prudentem virum, à quo quis pendet, quam apud multos, à quibus non pendet; vt latè probauimus c. 2. n. 24. maxime quia ex reuelatione Superiori tanquam Patri facta, pio, & prudenti, potest Superior procedere ad negationem suffragij ad officia Religionis, ad mutationem domus, & Monasterij, ad remotionem ab officio, & ad alias res, quæ notam infamiae naturaliter afferre possunt, vt statim dicemus.

14. Ad tertium nego melius conseruari omnes Religiones in primæua puritate sui instituti, & disciplinæ religiosæ, si nulla præmissa monitione fratres statim deferantur ad suos Superiores, tanquam pios, & prudentes Patres, de delictis occultis, quæ non sunt aliis nociua, cum æquè possint emendari per secretam admonitionem, de quo procedit questio: imò assero religiosam disciplinam, & puritatem religionis, tunc posse magis à sua primæua puritate collabi, quàm in ea conseruari, cum enim decor, & puritas Religionis præcipuè consistat in bona fama Religiosorum, & hæc magis pendeat ex æstimatione, & iudicio prudentium, & Superiorum, quàm ex aliorum iudicio, si Religiosi apud istos infamantur, consequenter Religio à primæua puritate deficiet, vt patet, & quod additur nullo modo apud Superiores, prædictos Religiosos infamari, ridiculum omnino est; cum enim fama consistat in bona æstimatione, necessariò illam non habebit, qui delicta occulta, & graua alicuius agnouerit, hoc tamen

men non tollit quod possit dari specialis Religio, in qua ob eius munia & ministeria spiritualia, & occupationes cum proximis frequentes, & magna utilitatis spiritualis illorum ad eius conservationem necessarium requiratur haec famae renunciatio, ut statim apparebit.

14. Ad quartum respondendum est conscientiam, & bona spiritualia superioris ordinis, ut salus praefendam esse famae, & bonis temporalibus inferioris ordinis, quando utrumque servari non potest: secus autem quando utrumque servari potest, ut supponimus, fieri posse per admonitionem fratrum, sicut ex dictis patet.

Sup. hoc in tom. 5, tr. 7 Ref. 60 ex doctrina § vii. & si placet lege Ref. & § eius primae notae & in tom. 5, tr. 9. Vide doctrinam Ref. 3. Signanter §. Sed. ad lin. 9. Verf. Superior.

15. Ex dictis inferes, quando Episcopi, Visitatores, & Praelati Religiosorum, & alij Superiores regulares, aut seculares Ecclesiastici praecipunt si becommunicatione ipso facto, ut scientes crimina intra certum terminum sibi revelent; semper intelligendum esse servato ordine correctionis fraternae, si crimina sint occulta, & putetur contraeio profutura, & non est periculum in moralem si id praecipiant specialiter vni, vel generaliter omnibus, alias non est eis obediendum. Et haec omnia docet Fagundez ubi supra.

16. Sed non bene tam ipse, quam Lorea affirmativam sententiam vocant improbabilem, & ideo Calpensis in *Curs. Theol. tom. 2. tr. 27. disp. 6. sect. 3. num. 25* sic asserit: Ex his sequitur, quam immerito Lorea hanc sententiam vocet improbabilem. Est enim probabilissima, tot sanctorum Patrum, & Doctorum Scholasticorum autoritate fulta, in d' oppositam censo non tam probabilem, & quae facile posset esse occasio ruinae, & subversionis Religionum. Dices hoc esse velle adducere aliud Evangelium pro Religiosis, ac pro Laicis. Respondetur primo, D. Thomam, D. Bonaventuram, & caeteros omnes Doctores relatos, probè nosse Evangelium, & nihilominus tradidisse hanc doctrinam. Eandem tradidit Innocentius 39. cap. Qualiter & quando 2. de accusationibus, ubi ait: *Praelatos curatores, et charitativa monito precedat inscriptionem: inscriptio autem denunciationem: denuntiatio autem accusationem.* & subdit: *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quando enim causa requirit, facilius & liberiori possumus a suis administrationibus amoveri.* Ecce Pontifex constituit discrimen non solum inter Laicos, sed etiam inter clericos saeculares, & religiosas personas in servando ordine correctionis. Respondetur secundò, cum Turrianò, alium esse finem boni publici in Republica seculari, & alium in religionis: nam in Republica seculari hic finis intenditur, ut publice paci, & tranquillitati civium consulatur; quam tranquillitatem delicta publica perturbant; nec omnia publica, & ita multa impune permittuntur; atque adeo non postulat bonum illius Reipublicae, ut secreta peccata ad saecularem Rectorem deferantur. At institutum in religiosa Congregationis est, non tantum efficere bonum aliquem suum, sed vitam perfectam; propter quod bonum Religionis fieri potest, ut cum aliquo detrimento famae Religiosae, possit fieri praedicta delatio: praecipuum enim naturale non in famam proxima, & ex charitate corripiendi, ita obligat, ut si aliquando maius aliquod bonum postulet, ut de fama illius non curemus, statim possimus illius crimen occultum Superiori manifestare; hac enim ratione facilius quilibet Religiosus ablinebit à peccato exteriori coram alio Religioso; & sic toti Religioni maximum emolumentum eveniet, dum minor est licentia peccandi, & Religio melius consequitur suum finem, ut peccata etiam occulta, quae perfectionem vitae religiosae impediunt, quantum fieri potest, impediuntur.

7. Ratio à priori huius rei est, non quia hoc praecipuum non obliget omnes, etiam Religiosos, sed quia affirmativum est, & in eo statum d' occurrunt omnes circumstantiae, cum quibus obligatum est illum ordinem. Deinde quia ordo correctionis in totum servari debet, in quantum praecipuum charitatis obligat ex charitate: itaque regula in illo ordine servanda est charitas ipsa, & quod magis ex parte facti spirituali fructus. At in casu de quo loquimur, praedicta charitatis hoc postulat, ut immediate deferatur Praelato tanquam Patri peccati mortali in fratre, quia speratur brevior, & melior correctio, & maius utilitas spiritualis illius. Quomodo tamen frater in casu in Religione coniget Profectum antiquum quam medicinam adhibebit? quomodo pericula respiciet avertet & occasiones igitur non teli quod quod videtur quod ipse nec fecit, nec valet; tunc enim manifestum est obligatio delationis, sed etiam quando speratur melius, & perfectius compendium fore à Praelato, civitate potest deferre. Ita Calpensis ubi supra. Et ego utramque sententiam probabilem esse existimarem licet secundum adhaerere in par. 3. tr. 2. ref. 27. & tunc etiam adhaerere cum multis Doctoribus, ut cum his: Et primam sententiam propositam non admittimus casu quo Superior, & Praelatus sit vir prudens, & violentus, & cum subditio non bene est: etiam in Superior est vir imprudens, & non servabit secretum, vel diffamabit subditum, prolixus talis delatio non facienda.

18. Igitur admitto affirmativam sententiam tanquam probabilem concurrentibus duabus conditionibus. Prima, ut delatio fiat ei non tanquam in patrem, sed tanquam patri. Secunda, ut Praelatus sit prudens, discretus, & spiritu alis, zelo, & dilectione sanctorum ornavus, & taciturnus, & nisi per sit ipsa maioris utilitatis fructus; quia nimirum speratur brevior, melior, & securior in futurum emendatio per Praelatum, quam per privatum.

RESOL. LII.

An sit licita Constitutio Societatis Iesu, quod deferatur peccata Fratrum Praelato ut Patri ab ipsa provincia correctione? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 45.

§. 1. Pro negativa sententia in par. 3. tr. 2. Ref. 37. adduxi Philareum, & Locam, quorum haec sententiam testatur Rodriguez in *com. ad. 99. res. 10. Ref. 36. n. 13*. Academiam Salmanticensium, quam probabiliorum sequentem fuisse, tamque tenuissimè Lopez de Texeda in *Theolog. Moral. lib. 1. tract. 2. contron. 4. per 111*.

2. Sed ego ibi, & merito affirmativam sententiam docui cum 13. Doctoribus, quibus iure addo doctissimum Huitadum de Mendoza *vel. 2. disp. 165. sect. 5. & seq. ubi latè, & solide more suo hanc tenet opinionem*, quam etiam tenet Freitas in *Editione noviss. de Confess. sollicit. q. 18. n. 58*. Catena in *praxi & Officij, par. 2. tit. 9. §. 4. n. 18*. Fagundez in *Decal. tomo 2. lib. 8. c. 7. num. 13*. & sequi. Maldus in *2. D. Thom. q. 33. art. 8. de castissimus Dominus meus Transvera q. 9. de Correc. frat. sect. 3. c. 11*. Callus Palanus *tom. 1. tr. 6. disp. 3. pun. 9. num. 2*. & Trullench in *Decal. tom. 1. lib. 1. c. 5. dub. 1. n. 5*. & ratio est, quia non solum ex opinione probabiliori hoc licitum est in aliis Religionibus, ut supra probavimus de peccato Praelato, ut patri peccata occulta subditorum ab ipse praevia correctione, sed quia Religiosi Societatis Iesu incedunt iuri suo. Unde sic probatur haec opinio à Callio

Castro Palao. Quilibet potest ob honestos fines detrimentum in fama, & honore pati (vt ex communi sententia suppono) etiam si Dominus non sit fame propria, & honoris. Ergo potest renuntiare ius, quod habet, vt sibi fama integra conseruetur in correctione ob honestos fines, quales sunt maior spiritualis correcti profectus, maiorque securitas a reciduo, submissio, & humilitas propria, integritas communitatis. Negari enim non potest Religiosos maiori circumspectione processuros, si sciant peccata propria occulta a quolibet sciente extra confessionem, vel gratia petendi auxilium, esse superioribus manifestanda omnia correctione, securiores esse a reciduo, & communitatem magis indemnem seruari. Ergo ob huiusmodi honestos fines possunt fame detrimentum pati. Cõfirmo, si proximus ob fines supradictos manifestaret proprium peccatum Prælato, nonne laudandus esset; Ergo etiam si ex consensu ipsius eius peccatum superiori manifestes ob supradictos fines, opus laudabile facies. Tandem si proximus iam famam apud Prælatum amisisset, rectè posses cū illo agere de eius peccato, si in tali tractatione operaris ex bono fine. Ergo idem videtur dicendum, quando ipse proximus non vult seruare suam famam apud Prælatum, sed iusta de causa tibi facit potestatem eius.

2. Ad argumenta verò Petr. de Lorca solidè responderet Coninch *disp. 28. de Char. dub. 12. per tot. & Hurtad. & Castr. Palao ubi supra*. Nec te terreat iudicium Salmanticensis Academia adductum, nam ad illud responderet Hurtadus *loco cit. sect. 1. §. 102.*

3. Sed post hæc scripta inueni Duuallium *in 2. 2. d. Thom. tr. de Correct. q. 9. art. 5.* hanc pertractare difficultatem & post multa hæc asserere. Quando proximus, qui peccauit ita est comparatus, vt priuata mea monitione, probabiliter debeat a peccato resipiscere, eiusque peccatum nullum communitati Congregationis damnum infert, ordo correctionis fraternæ seruandus est, vt scilicet prius priuatim moneatur, quam ad Superiorem publicè deferatur. Ratio est, quia in Religionibus, in quibus vigent tales constitutiones, præcipuè attenditur salus communitatis; quæ quidem per peccata Religiosorum euidenti periculo exponitur, tum ratione exempli; quod enim ab aliquo impune fit, ab aliis facillè attentatur; tum ratione infamiae, quatenus nempe peccata illa, si non statim puniantur, secularibus breui innotescunt; quod in præiudicium maximum ipsius Religionis cedit. Quando ergo hæc incommoda, & pericula cessant, aut probabile est, me, priuata mea monitione, his omnibus obfuturum, non debeat priuatam monitionem omittere: equidem, vt diximus, si in aliquo casu ordo Euangelicæ correctionis obliget, maxime in isto casu debet obligare, in quo mea priuata monitio est admodum profutura, & peccatum proximi nulli in communitate, aut extra est obfuturum.

4. Sed quia Regulariter loquendo, vix potest haberi moralis certitudo, quòd peccata Religiosorum non debeant communitati, aut alicui tertio nocentum aliquod inferre, sicut, & quod mea priuata monitione emendabitur: ideo non est improbanda illa Religionum quarundam constitutio, qua peccata occulta, omnia priuata monitione deferri debeant ad Superiorem: quod non tantum de leuioribus, sed etiam de grauioribus, & mortiferis peccatis intelligitur. Primum ex Basilio *in regulis suis disputatis, interrogat. 26.* vbi propter maiorem humilitatem, & perfectiorem sui abnegationem, iubet Religioso, arcanas suas cogitationes suo superiori detegere, nulla habita ratione, quòd Religiosus seipsum orationibus, & mortificationibus sponte assumptis iuuare posset: ergo a pari legitima est illa constitutio, qua Religiosus peccata occulta sui fratris superiori tenetur dete-

gere, etiam si eum prius secretò non mouerit. Ita Duuallius; malè igitur contra talem constitutionem Societatis recentiores aliqui obmurmurati sunt, quos detertere debebat Bulla Greg. XIII. quam addocuit Coninch, & Hurtadus omnino videndi, & Eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis de Lugo testatus est mihi, Andream Pacheco Inquisitorem Generalem damnasse per edictum Martii die 19. Nouem. 1625. hanc propositionem in quibusdam Theſibus appositam. Nullo modo licet peccata denunciare Prælato vt patri, omiſſa propria admonitione secreta.

RESOL. LIII

An stando in opinione, quod licitum sit absque præuia correctione deferre delicta Fratrum Prælato vt Patri, queritur, quid possit facere Prælatus cum subdito sic delato? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 46.

§. 1. **A**D hoc dubium respondet Ludouic. Caspenſis *in Cursu Theol. tom. 2. tract. 17. disp. 6. sect. 3. n. 35.* vbi sic ait. Ex his inferitur, ex denunciatione paterna, non posse Prælatum procedere iudicialiter, & delinquentem punire, vt tenent communiter Doctores; esset enim contra ius peccatum secretò manifestatū ad correctionem per penitentiam euulgare. In delicto verò graui, præcipuè si probari potest; bene potest Prælatus procedere ad penitentiam aliquam secretam, quæ magis sit correctiua, & præseruatiua delicti, quam punitiua, vt docet Sotus *de regen. secret. memb. 2. qu. 4.* Similiter poterit Prælatus subditum à loco, vel ministerio aliquo remouere, quando munus ex solo nutu superioris pendet, & potest fieri sine infamia illius, attentis prudenter omnibus circumstantiis. Similiter poterit superior cum suis Consultoribus agere ea de re, quando id iudicatur necessarium ad remedium adhibendum, & coram illis aliquando monere, & secretò corrigere ipsum delatum; quia in hac manifestatione vtilitatem spiritualem delinquentis respicit, vt tradit Turrianus *disp. 89. dub. 4.* Imo & designare subdito delinquenti socium fidelem, qui eius actiones exploret, & referat superiori, vt tradit Bañes *2. 2. q. 23. art. 3. dub. 1.* Hoc enim spectat ad officium Prælati, qui tenetur vitam subditorum inquirere, quia curæ eius commissi sunt, & pro eis rationem est redditurus. Deinde si ei moraliter constet de delicto subditi, saltem per delationem vnus testis omni exceptione maioris, poterit grauius subditum reprehendere, etiam coram duobus, vel tribus, testibus, & penitentiam aliquam iniungere, & etiam sub excommunicatione ipso facto incurrenda præcipere, ne talem locum suspectum adeat, vel ne cum tali persona loquatur; hæc enim omnia, vt tradit Castr. Palao *tr. 6. de char. disp. 3. punct. 12.* non excedunt paternam correctionem, & semiplena probatio delicti sufficiens est ad illa præstāda, vt etiam notauit Suarez *de Relig. lib. 10. c. 10. & 12.* Deinde addit, si delictum sit in damnum communitatis, vel tertij, & via denunciationis paternæ nequit ei remedium sufficiens adhiberi, posse Prælatum præcipere delatori, vt relicta denunciatione paterna ad iudicalem transeat; posse etiam creare Fidelem, qui denunciatoris officium sumat, & facta per illum denunciatione, examinare delatorem tanquam testem qui veritatem teneatur fateri, & facta hac testificatione procedere ad examinandum delinquentem, quod est valde notandum pro modo procedendi Prælatorum in delictis quæ veigunt in damnum & perniciem communitatis, vt amplius constabit ex dicendis sect. seq. Hucusque Caspenſis.

2. Addunt

2. Addit etiam supradictis Bañez, & Tutrianus, posse Prælatum socio significare aliquam malam de subdito suspicionem habere: dicendo, obserua illum, si iam apud Prælatum subditus diffamatus sit, secus è contra; secundò dicunt posse sic designatum non præmissa correctione delictum fratris superiori, vt patri deferre. Vtrumque dictum non vndique probat Castrus Palaus *topo 2. tract. 6. disp. 3. punct. 11. num. 9.* Et hæc omnia dicta esse volo secundum mentem dictorum Auctorum.

RESOL. LIV.

An si frater sit emendatus, possit quis illum Prælato vt Patri denunciare, vt sic securior sit, ne in posterum labatur?

Et quid, quando adsit periculum relapsus? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 49.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Jacob. de Graffius in *decis. tom. 1. lib. 2. c. 68. num. 18.* vbi sic ait, Animaduertendum est, quòd frater delinquens non tantum denunciandus est Prælato pio & discreto, atque spirituali, sicut priuata personæ, vt emendetur, sed & vt emendatus præseruari possit à reciduo, si tamen per signa valde probabilia crederetur, quòd ex illa denunciatione fratrem correctum Prælatus infamare vellet, tunc crimen occultum fratris iam veraciter correcti ei denunciari non deberet. Ita ille, qui citat Gabriel. Et hanc sententiam tenet etiam Richard. in *4. dist. 19. art. 3. q. 1. Angel verb. Denunciatio, n. 10.* & alij, quia talis denunciatio valet ad præcauendum fratrem à reciduo, & nihil ei obest, cum Prælatus aduersus illum non possit ad punitionem procedere.

2. Sed ego sententiæ negatiuæ adhæreo cum Adrian. Palud. Nauar. Soto, & alijs quos citat & sequitur Greg. de Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 10. pun. 5.* Probat primum ex illis verbis Domini: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum,* quasi dicat nihil superest amplius, sed ibi erit sistendum, vt conferuetur fama fratris. Secundò, nam vt rectè censet Adrianus, sicut grauius est diffamari apud grauem, & honestum virum, quam apud alium, ita & apud Prælatum. Quisque enim magni facit bonam estimationem sui apud suum Prælatum: Igitur minimè debet lædi fama proximi apud Prælatum, quando id ad finem correctionis non est necessarium, cum scilicet iam est emendatus per secretam admonitionem. Neque fundamentum Richardi est firmum: non enim pro qualicumque bono spirituali proximi licitum est damnum ei inferre in bonis temporalibus, sed pro eo, quòd sit ad salutem necessarium, qualis non est ordinariè illa maior securitas à recidua. Neque enim esset licitum eripere v. g. alicui bona sua, & dare pauperibus, vt orent pro ipso, sicut rectè ait Adrian. & patet aliquot sententijs August. relatis à Gratiano *XIV. q. 5. præsertim Canone licet Ex hom. 7. Augustini lib. 50. homil.*

3. Quòd si casu aliquis esset talis, vt certo, vel probabiliter existimeretur proximus relapsurus nisi præteritus eius lapsus indicetur superiori ad eum præseruandum à recidua, negari non debet, quin id esset licitum; sicut concedit quoque Adrianus, & Sotus *vbi sup.* & insinuat D. Thomas quodlib. 1. art. 13. Nam etiam ad eundem finem liceret rem indicare cuius alteri priuato sine cuius ope non putaretur quis futurus immunis à relapsu: Cæterum hi casus non sunt ordinarij, Quocirca ordinariè quidem falsa est illa Richardi opinio, quam postea sequutus non bene est Graffius. Et idèd hanc sententiam, præter Valentiam, & alios ab ipso citatos, tenet Castr. Palaus *topo 1. disp. 3. pun. 12. num. 2.* Petr. Navarra *de restit. lib.*

2. c. 4. part. 2. dub. 12. num. 686. Petr. de Aragona *in 2. 2. tom. 1. q. 33. art. 7. in fi.* Sanchez *in sum. tom. lib. 6. cap. 18. n. 49. & 60.* Emanuel Sà *verb. Correctio, n. 4.* Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 4. disp. 12. num. 4.*

4. Notandum est tamen, quòd Filiaciensis *tom. 2. tr. 28. cap. 8. n. 157.* Bonacina *disp. 3. q. 4. punct. 7. n. 17.* limitant nostram sententiam, modo frater non existat in periculo labendi, quando verò adsit probabile periculum relapsus; respondeo, cum frater occasione peccati innodatus sit vt moraliter loquendo iudicetur casurus, nisi ab illis diuertatur. Ex ita docet Palaus *loco cit. n. 5.* Quapropter Petr. de Ledelma *tom. 2. sum. tra. 4. concl. 24. disp. 3. pag. 290.* affirmat, si scias Religiosum in luxuriam incidisse non ex malitia, hoc est ex consuetudine, sed ex fragilitate humana propter occasionem sibi oblatam, non debere Prælato denunciare, si à te corrigi poterit, quia tunc non censetur esse in probabili periculo cecidendi. At si ex malitia & praua consuetudine peccat, affirmat denunciandum fore, quia tunc ad præsumptum poterit emendatus, sed potius in morali periculo iterum, & sæpe cadendi versari.

RESOL. LV.

An saltem in Societate Iesu frater emendatus sit denunciandus Prælato, vt sit securus sit à recidua? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 50.

§. 1. **A**ffirmatiuè responderet Valentia *ro. 3. disp. 3. q. 10. punct. 5.* vbi argumentando contra doctrinam à nobis, & ab ipso in superiori resolutione firmatam sic asserit. Ipse proximus poterit licite propter qualemcumque maiorem securitatem suam à recidua, indicare Prælato peccatum suum, de quo iam est emendatus, postposita iactura propriæ famæ: Ergo idem poterit alter proximo facere ob eandem illam proximi vtilitatem spirituale.

2. Respondeo per distinctionem consequentis, nam si ad id habeat quis proximi consensum, verum est id consequens, & bona consequentia: vt patet ex iis, quæ differimus in quinto casu pronuntiat quarti. Si autem desit proximi ad id consensus, fallum est id consequens, nec valet consequentia. Nam cum vnusquisque sit, vel dominus, vel dispensator famæ suæ, poterit arbitrari suo illius iacturam facere pro qualicumque bono proprio spirituali; alter verò minimè absque eius consensu. Quæ admodum poterit quisque de bonis suis facere elemosinam pauperibus vt pro ipso orent; non autem alter absque eius consensu. Ita Valentia; sed vt visum est Religiosi Societatis Iesu cedunt iuri sibi seruandæ famæ: Ergo possunt Prælato denunciari, vt patri, vt illos à recidua caueat maiori cum securitate. Et idèd in hanc sententiam videtur consentire Suarez *de Relig. tom. 4. c. 10. n. 11. & 12.*

3. Sed his non obstantibus contrariam sententiam tuetur Castr. Palaus *topo 1. tr. 6. disp. 3. punct. 13. num. 4.* & Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 18.* afferentes si certò tibi constat proximum emendatum esse, neque periculum probabile habere relapsus, nullo modo posse eius delicta superiori manifestare, vt securior sit, nisi ipse expressè in tali manifestatione consentiret, neque consensus in Societate præsertim ad hunc casum censendus est extendi. Et probat hoc Palaus: nam finis præcipuus in Societate ob quem mandantur delicta Superioribus deferri, est correctio ipsius delinquentis. Si ergo frater correctus omnino est, & emendatus; neque periculum sit recidua, cessat finis, ob quem censetur delicta Superioribus deferre. Et

Et confirmo. Si enim ob maiorem securitatem, maioremque humilitatem, & submissionem propriam cessante sine correctione, liceret delicta fratris emendati superiori deferre, liceret, inquam, non vni, sed pluribus superioribus manifestare, vt sic delinquens amplius humiliaretur, & securior a reincidentia esset, quod nullus debet concedere: Ergo. Et ideo videtur dicendum vtramque sententiam probabilem esse.

4. * Non desinat tamen hic adnotare quod Hurtadus de Mendoza affirmatiuum sententiam videtur docere, sic enim ait *vol. 2. disp. 162. sect. 28. §. 22.* In Religionibus in quibus dicitur cum magna dependentia subiectorum à Prælatis, licita est ordinariè immediata delatio criminis emendati, quod adhuc est recens, & commissum tempore non longe distante. Probat: quia in talibus criminibus, quando sunt viscosa, quam difficilè abijunguntur, vt luxuria, furtum, detractio, & similia: ordinariè est probabile periculum relabendi. Qui enim heri luxuriatus fuit, aut furatus, licet se Sacramento expiauerit confessionis, nonne timebitur probabiliter hodie relapsurus, si in eadem occasione versetur? Longa & certior quam vellemus, est experientia peccata huius generis raro euenire vnica vice & non repeti multoties. At non potest à priuato præcaueri ordinariè, potest autem à Prælato: ergo delicta possunt deferri. Antiquata verò iam sunt in obliuione, & sine fructu referentur: in Religionibus autem vbi administratio est monarchica, id legi est vile: quia Generalis cognitio criminibus suorum adhuc recentibus, dabit operam eis occupandis, vbi sine periculo vacent honestis muneribus. Ita Hurtadus. Vide Turrianum etiam in 2. 2. 2. 1. 1. disputat. 89. dub. 4.

RESOL. LXI.

An correctio sit faciendâ de peccato habituali, si non est periculum relabendi?

Ex quo inferitur, an peccator, non statim ac peccat, teneatur de peccato conteri, sed cum aliqua latitudine temporis, & in articulo mortis? Ex p. 7. r. 3. Resol. 11.

§. 1. **A**ffirmant non contemnendi Doctores, & ita docet Valentia tom. 3. disput. 3. question. 10. punct. 1. Suarez de Charitate disp. 8. sect. 3. num. 8. Bañ. 2 in 2. 2. quest. 32. art. 3. dub. 2. ad 4. Bonacina disput. 3. quest. 4. punct. 7. num. 4. Aragonius art. 2. dub. 1. corol. 1. quibus omnibus adde sapientissimum Hurtadum de Mendoza vol. 2. disp. 162. sect. 7. §. 68. Probat hæc opinio; quia peccatum commissum, & non emendatum secluso periculo in aliud relabendi, est secundum se, materia grauis huius virtutis, sed ad grauem eius materiam obligamur, quoties sine graui incommodo cum spe fructus eam possumus exercere: ergo peccatum commissum, & non emendatum secundum se nos grauius obligat. Minor positio est per se nota, & licet quida satis ex dictis. Item & ab exemplo elemosynæ corporeæ, quæ in materia graui nos obligat, quando sine incommodo possumus de superfluo erogare stipem, vt sæpè dixi. Ratio etiam à priori; quia æquitas fraternitatis exposcit: vt ego curam de fratre grauius indigenti, quando sine incommodo possum, ne eliciente vno alius ebrinus sit. Maior est multò clarior: quia materia correctionis est materia spiritualis proximi, vt materia elemosynæ est materia corporalis: ergo miseria grauis spiritualis est materia grauis huius virtutis, sicut egestas grauis est grauis misericordiæ materia; sed peccatum mortale habituale,

Tome VII.

secundum se, secluso periculo noui peccati, est miseria grauis; siquidem concitat inimicitiam Dei, & hominem reddit obnoxium æterno supplicio: ergo.

2. Quod si hæc ratio probaret singulos teneri ad agendam penitentiam cum primum posunt, non propterea non probat conclusionem hæc. Si autem demus nullum teneri agere penitentiam cum primum potest, adhuc hæc conclusio probatur hac ratione: quia penitentia materia est peccatum detestandum, non quia malum sit peccatoris; sed sub alio conceptu. At materia correctionis est malum peccatoris, quod nos obligat cum primum, si cætera occurrant, quia est materia grauis eius virtutis.

3. Dices, charitatis in nosmetipsos non obligat nos ad abigenda hæc mala cum primum: ergo nec charitas in proximum. Nego consequentiam: quia correctio non obligat ad repellendum peccatum alienum; sed ad proponendum peccatori ob oculos, quibus rationibus teneatur ad penitentiam agendam. Hoc autem vnusquisque in se id cogitat, quando est animo tam sedat, vt possit alium corrigere, & b quod quidquid ipse tenetur hic & nunc proximo præstare, id fibimet præstat.

4. Et ideo Caspensis in *Cursu Theol. tom. 2. tract. 17. disp. 6. sect. 1. num. 7.* sic ait. Difficultas est an sit obligatio corripiendi fratrem quando peccatum commissum est, nullum est periculum iterum relabendi, manet tamen in statu peccati. Et satis communis sententia docet, in eo euentu hoc præceptum non obligare, quia ipse peccator tunc non tenetur seipsum liberare à peccato habituali, quia homo statim post peccatum non obligatur ad retractandum illud, & ad reconciliationem cum Deo: ergo neque alius tenetur illum corrigere, & exhortari, vt reconcilietur cum Deo. Mihi verò opposita sententia videtur valde probabilis, quia peccatum commissum, & non emendatum, secluso periculo in aliud relabendi, est secundum se materia grauis huius virtutis, ac proinde obligat quoties sine graui incommodo eam possumus exercere; materia enim huius virtutis est miseria grauis spiritualis fratris, sicut egestas grauis, est grauis materia elemosynæ: at peccatum mortale habituale præcisè, & ex se, secluso periculo relabendi in aliud peccatum, est materia grauis, siquidem reddit hominem Dei inimicum, & obnoxium æterno supplicio. Ex quo patet responsio ad fundamentum contrariæ sententiæ, quia materia penitentia est peccatum detestandum, non quia malum sit peccatoris, sed sub alio conceptu: at materia correctionis est malum peccatoris, quod statim obligat; quia est materia grauis. Falsum etiam est, me non teneri lege charitatis, in aliquibus occasionibus ad faciendum aliquid quod ipse secum non tenetur facere, sed potest licitè omittere, vt g. Ego teneor subuenire proximo in graui necessitate corporali, & tamen ipse potest in eam manere, nulla adhibita diligentia, sed eam velle pati pro Christo, ipse potest velle esse sine honore, quod ego illi optare non possum. Ita Caspensis.

5. Sed his non obstantibus, ego negativæ sententiæ adhareo, quam tenet nouissime Trullenchi in *Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 14. numero 3.* Turrianus in 2. 2. tom. 1. dub. 86. num. 2. Coninch. de charitate, disp. 28. dub. 6. num. 117. Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 7. num. 2. Sanchez *Opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 2. n. 3.* Calstrus Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 2. n. 6. Gaspar Hurtadus disp. 6. de correct. diff. 4. Reg naldus tom. 1. lib. 4. c. 2. n. 332. Villalobos in *Summa tom. 2. tr. 4. difficult. 2. n. 4.* & alij: Et rationes adducit Calstrus Palaus; quia non censetur proximus in graui necessitate esse constitutus, nisi ex occasione peccati commissi sumat occasionem illud peccatum committere

D d

committendi, aut probabiliter existimetur ita permanurum in illo peccato, ut suo tempore de illo non doleat: quod iam est nouum peccatum. Extra hoc periculum perseverantia in peccato, etiam si grauis miseria sit; non tamen ex misericordia videris obligatus procurare illam tollere. Si enim ipse ex charitate sui, quae strictius obligat non obligatur statim illam miseriam depellere, quare tu ex misericordia obligandus es procurare? Non enim coherere videtur te esse obligatum corrigere; & alium non esse obligatum admittere correctionem. Cum igitur

*Sup. hoc in tom. 1. tr. 3. R. 85. §. Secunda, & ex lata doctrina R. 86. quamuis recitaturue signanter à lin. 3.

* peccator non statim ac peccat, teneatur de peccato conteri, (ut ferè omnes Doctores fatentur, cum D. Thom. 4. dist. 17. quest. 3. artic. 1. questiuicula 4. ad 2. Sotus, ibid. quest. 2. artic. 6. Dur. quest. 10. Ioann. Med. Codic. de penit. quest. 6. Navarr. in Summa cap. 1. numer. 27. & 29. Suar. de penitent. disp. 1. §. sect. 5. non tenetur correctionem admittere, quae sibi tunc adhibetur. Ergo nec tu videris obligatus illi correctionem facere. Et confirmo. Peccatum proximi non potes tollere per correctionem immediate; sed media voluntate ipsius peccatoris. Ergo quando peccator non tenetur apponere suam voluntatem ad tollendum peccatum, nec teneris tunc correctionem apponere, cum correctio ad tollendum peccatum proximi ordinetur, quod tolli non potest nisi media voluntate ipsius. Vnde utramque sententiam probabilem esse asserit Machadus de Perfecto Conf. tom. 1. lib. 2. part. 2. tract. 6. docum. 11. num. 5. vbi sic ait. *I aunque es muy probable opinion, que este precepto de la correccion fraterna no solo obliga à procurar, que el proximo no cayga en pecado; sino tambien à levantarle, despues de caydo en el. Con todo esso es mas probable, y de Autores muy graues, que la fuerza deste precepto solamente obliga à procurar por la correccion fraterna, que el proximo no cayga en pecado, quando està proximo para caer en el.* Ita ille. Et tandem nouissimè Franciscus del Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correct. quest. 3. part. 1. num. 2.

6. Verùm Lorca in 2. 2. D. Thoma, quest. 33. art. 5. sect. 3. disput. 41. num. 11. putat inter supradictas sententias non esse dissidium: sic enim asserit. Tertio est dubium, vtrum materia correctionis sit peccatum futurum, an etiam praeteritum? Non potest negari, peccatum praeteritum quod permanet actu, complacentia, perseverantia, aut obligatione satisfactoris, esse materiam correctionis, neque id vllus negat; quia huiusmodi peccatum in futurum pender. Nec etiam negari potest, peccatum praeteritum, cuius emendatio, & penitentia constat, inepetè corrigi; quia fructus correctionis est emendatio, quae si adest cessat necessitas medi. Solum est difficultas, quando peccatum omnino transit actu, & solum remanet reatu, quia qui peccauit in reatu, permanet non actu penitentia, Glossa in cap. Si peccauerit, 2. quest. 1. & cap. Qui alium, de heret. & eam sequuti Syluester, verb. correctio, quest. 1. Angel. eod. verb. num. 1. affirmant, quando peccatum non perseverat actu, solos Praelatos obligari ad correctionem, non ceteros. Dum verò hanc obligationem Praelatis imponunt, loquuntur de correctione iudiciali non de fraterna. Id clarius prosequitur Abulen. quest. 83. qui apertè docet, non esse praecipuum corrigendi peccatum, quod nullo modo manet actu, sed solo reatu, quia non est per penitentiam deletum. Probat. Quia incertum est, & constare non potest, an homo egerit penitentiam, necne; praeteritum cum sufficiat occulta contritio ad remissionem culpae. Quando ergo nullo signo constat perseverantia actualis complacendo, repetendo, aut omitiendo satisfactionem debitam, temerè aliquis

corrigeret tanquam impenitentem, quem scire non potest, an penituerit.

7. Contra verò Adrian. quest. illa, §. secunda propositio, impugnat hanc sententiam, & probat, debitum esse corrigere peccatum, quod permanet reatu. Quoniam non minus debitum est lege charitatis extrahere hominem à miseria, in quam incidit, quam cauere, & praeservare ne incidat. Et verò Mart. 1. §. potius loquuntur de peccato praeterito, si peccauerit, quàm de futuro, vel quod in futurum pender.

8. Sed videtur inter has sententias non posse esse dissidium. Nam vera peccatum praeteritum, quod permanet solo reatu per se est materia correctionis, ut probat fundamentum secundae sententiae, & ideo si constat, non esse actam penitentiam, concipiendum est. Quod tamen intellige, non esse debitum strictiori vinculo, quàm peccator ipse teneatur penitentiam agere; non enim plus me obligat elucere à peccato, quàm peccatorem ipsum: cum igitur peccator ipse non teneatur statim penitere, sed cum aliqua latitudine temporis, & * in articulo mortis, non amplius tenetur alius illum admonere. Sed praetera tenetur, vel non, & an perseveret in reatu peccati ut probat argumentum prioris sententiae; Quare nisi is, qui peccauit, omittat confessionem annualem, vel in articulo mortis, vix vnquam erit casus, quo de peccato, quod solo reatu maneat, corrigendum sit. Hinc vult Lorca: Patet tamen ex dictis in omnium sententia, quòd si proximus peccauit, & insuper est in periculo iterum labendi, omnes Doctores censent tunc proprie esse obligationem correctionis, quis proximus est in graui miseria. Tum ob peccatum commissum, tum ob periculum simile committendi. Item haec diuinus ibi periclitatur. Ergo, &c.

RESOL. LVII.

An quis teneatur corrigere peccantem alia ratione emendandum? Ex p. 7. tr. 3. Res. 25.

§. 1. Respondeo, quòd ut teneat fratrem peccantem corrigere, requiritur, ut hoc sit hinc & nunc necessarium ad eius emendationem. Ut contingit quando nisi eum corripiam creditur minusquam emendandus, aut nimis diu in peccato haerens, aut saepe idem repetiturus, aut alia eius occasione facturus. Si enim sit omnino probabile ipsum, aut per se, aut per aliorum correctionem emendandum, sine periculo vitii per meam omissionem peccandi, non est in necessitate respectu mei, atque ita non obligor saltem grauius, ei dare elemosinam spiritualem. Sicut proximo patienti necessitatem corporalem non teneor dare elemosinam, quando ipse per se potest sibi necessaria acquirere, aut alij creduntur sufficienter ea administraturi. Non sufficit tamen quòd addint alij, qui possint, aut etiam magis quàm ego teneantur talem ex corporali, aut spirituali necessitate eripere, nisi omnino probabiliter credam eos hoc facturos: nam aliàs sicut quòd illi hoc possint & teneantur facere, non iuvat indigentem, nisi id de facto faciant; ita non soluit me ab obligatione, nisi ego merito credam eos hoc facturos. Et haec conuincit Coninch. disp. 10. dub. 6. num. 115. Valentia tom. 3. disp. 3. quest. 10. p. 1. 2. Turrianus in 2. 2. tr. 1. disp. 86. dub. 2. & Villalobos in Summ. tom. 1. tract. 4. diff. 3. num. 5. & alij.

RESOL.

RESOL. LVIII.

An testium inductio debeat precedere denunciationem publicam?
Et difficultas est, si proximus in correctione obduraverit, utrum sint adhibendi? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 56.

§. 1. Existimavit Durandus in 4. dist. 9. quest. 4. in peccatis, quæ sunt occulta, testium inductionem esse prorsus illicitam; & tunc solum esse licitam, quando peccatum aliquod occultum, in duorum, vel trium notitiam devenit: ideòque si corripienti solum innotescat, post privatam admonitionem, bis terve repetitam, non debet vterius procedere. Primum, quia si testes pro isto peccato sint adhibendi, vel quia necessarij sint ad probationem criminis, sed hoc non; siquidem fieri potest ut crimen non viderint, & præterea in correctione fraterna, etiam quando ad denunciationem devenitur, non incumbit denunciati ista probatio, cum denunciatio sit actus charitatis, & in eo ab accusatione distinguitur, quòd ipsemet denunciator sit testis, nec opus semper sit, alios secum ad Prælatum, cui denunciat, adducere, ut iam ostendimus; vel testes adhibendi sunt, ut ipsi iudicent, an in peccatum istud denud incidet ipse peccator, sed hoc non: quia hoc iudicium non potest fieri absque prævia vita, conversationis, & reliquorum aliorum ipsius delinquentis perquisitione: hæc autem perquisitio privatis hominibus, quales sunt ipsi testes, prorsus interdictur, vel sunt adhibendi, ut testificentur se officio suo in ipsa correctione functum esse: hoc autem est omnino inutile & vanum: ad quid enim prodest Deo, & in conscientia, quòd homines, nos officio non deesse resciant: igitur in peccatis occultis, post privatam, & secretam monitionem, non est vterius per testium inductionem procedendum.

2. Verùm hanc Durandi opinionem refellit, D. Thomas in 2. 2. quest. 33. ad 1. docet namque post privatam monitionem, antequam ad publicam denunciationem deveniatur, adhibendos esse testes, ut patet Matthæi 13. Adhibe tecum unum, aut duos testes. Deinde ordo charitatis postulat, ut quando non potest famæ, & vitæ spirituali proximi, simul consulti, potius famæ, quàm vitæ spiritualis iacturam faciat: est enim vita spiritualis animæ, multò charior, & pretiosior fama. Tertio de extremo ad extremum non est veniendum, nisi per medium; ad hoc ut proximus noster, quàm minimo suo incomodo emendetur: principium autem correctionis fraternæ, quod fit, quando proximus corripitur privatim, est omnino occultum: finis autem est, quid publicum, & manifestum, nempe Ecclesiæ denunciatio: ergo inter utrumque debet intercedere aliquod medium, quod de utroque extremo participet nempe unius, aut alterius testis inductio. Quarto, illud expressè docet Augustinus sermone 16. de verbis Domini, ubi hanc Christi sententiam, Si peccaverit in te frater tuus, de peccato occulto intelligit, Peccavit in te inquit, quando tu solus scis, si alij eiusdem peccati confesi sint, etiam peccavit in eos. Atqui in huius peccati correptione præcipit Christus, adhiberi testes: ergo non tantum pro publico, sed etiam pro occulto sunt adhibendi, iuxta illud eiusdem Augustini, ut refert D. Thomas loco citato, Peccatum fratris non debet occultari, ne putrescat in corde, quo loco agit de occulto peccato, ut patet ex hoc quod ait, si non detegatur, putrescet in corde.

3. Vnde ad primum Durandi argumentum, respondeo, testes quatuor de causis adhiberi. Pri-

mò ut præ reverentia testium non audeat negare factum, & ut spondeat coram illis emendationem: admonitio quippe coram alijs facta magnam vim ad morum correctionem habet. Secundò, ut si neget se fecisse, testes postea eum obseruent. Tertio, si fateatur factum, sed neget esse peccatum, à testibus convincatur esse peccatum. Denique, ut testes eum hortentur, & ad emendationem, atque correctionem vitæ suæ ei stimulos admoveant. Et hæc omnia docet Duallius in 2. 2. tr. de Correc. quest. 9. art. ult.

4. Non nego tamen ratione circumstantiarum sæpius testes non esse adhibendos ante publicam denunciationem. Et ideò Hurtadus volum. 2. disput. 163. sect. 7. §. 115. & si proximus in correctione obduraverit est difficultas, utrum sint adhibendi? Aliqui censent à S. Thoma sentiri eos adhibendos, utrum loquitur expressè ante accusationem publicam. Ego existimo duo; alterum eos adhibendos ante publicam accusationem delicti, ut expressè S. Thomas, quest. 3. art. 8. ex Beato Augustino, & alijs. Quod accipere quando possunt adhiberi sine proportionato damno deferentis, aut alius: & quia hoc damnum frequenter timetur, ideò Henr. Durand. & alij censuerunt non esse obligationem eos adhibendi. Ita Hurtadus.

RESOL. LIX.

An idem dicendum sit, si procedatur via accusationis, ita ut in tali casu possit fieri accusatio sine prævia correctione?
Et distinguitur inter viam accusationis, & denunciationis. Ex p. 7. tr. 3. Ref. 57.

§. 1. Negativam sententiam si emendatio fratris speratur docet Lorca in 2. 2. D. Thoma disput. 47. numero 27. ubi sic ait. Patet, materiam accusationis esse omnia delicta, quibus inferitur iniuria alicui, præsertim Republicæ, atque adeò illa etiam, quæ solum nocent peccanti, si publica & scandalosa sint; nam quæ talia sunt, nocuumentum Republicæ afferunt. Cum igitur hæc etiam sint materia correptionis, ut ex supradictis constat, quamvis in aliquibus eorum raro habeat locum, non est negandum, etiam in processu accusationis sæpè lege charitatis præmittendam esse admonitionem. Hæc est sententia Doctoris Angelici art. 7. Cum enim in 3. argumento obiecit, in accusatione non deberi admonitionem; ergo nec in denunciatione; solum respondet his verbis: Ad tertium dicendum, quòd quando imminet periculum multitudinis, non habent ibi locum hæc verba Domini. Nec distinguit inter accusationem, & denunciationem, quasi dicat, tam in vna, quàm in alia solum excusare omissionem admonitionis, quando est periculum in nocumento alterius. Quod ergo dicitur in cap. Qualiter & Quando, solum significat, magis convenire admonitionem denunciationi, quia solum expetit emendationem delinquentis, quàm accusationi; sed in accusatione etiam aliquando deberi admonitionem, constat ex Anacleto Epistola 2. cap. Accusatio, 2. quest. 7. Hæc vsque Lorca, cui adde Caiet. in 2. 2. q. 33. art. 7. & alios ubi infra.

2. Nec deseram hic apponere verba Ioannis Dicastillo de Iust. lib. 2. tract. 1. disput. 7. dub. 2. num. 9. ubi sic ait: Probabilius est, & pia sententia Soti lib. 5. quest. 5. art. 1. & Sylvester verb. accusatio. punct. 3. quos alij sequuntur, semper, scilicet præmitti debere ante accusationem fraternam correptionem, de

qua Math. 18. *Si peccaverit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum solum.* Licet enim respondere possimus ibi tantum agi de denunciatione ex charitate, quā appellamus Evangelicam; quam idē debet precedere secreta monitio, quia insignita est ad emendationem delinquentis; non verō de accusatione, quæ tendit ad punitionem in utilitatem boni publici; non habita ratione famæ peccatoris; Nihilominus tamen Christus utrumque videtur coniunxisse. Primò: ut fieret correptio, deinde, ut procederetur ad punitionem; quamvis, hic processus ad punitionem semper videtur temperatus in ordine ad utilitatem delinquentis. Idē absolute placet prior sententia, quæ id præcisè non requirit in accusatione spectata solum illius natura, ut explicatum est. Ita Dicastillus.

3. Sed ipse meritò ibi affirmatiuæ sententiæ adhaeret, quam etiam docet doctissimus Duallius 2.2. *tract. de Corrupt. quest. 9. art. 5.* ubi sic ait. Quæres an quando proceditur per viam accusationis, & non simplicis denunciationis, seruandus sit ordo correptionis fraternæ: ita ut nunquam apud Iudicem reum aliquem accusemus, quin prius eum priuatim, & secreto monuerimus? Notandum est, differentiam esse inter accusationem, & denunciationem: Primò, quòd accusatio habeat pro fine vindictam delinquentis, vel ad satisfactionem iniuriæ, quam intulit; vel ut iustitia legalis quæ est virtus vniuersalis, conferuetur: at verò denunciatio habet pro fine emendationem seu bonum delinquentis. Secundò, quòd accusatio sit actus virtutis iustitiæ, ut patet; denunciatio verò actus charitatis. Tertio, differunt in forma probationis; nam in accusatione, præter accusantem, requiritur plena probatio: in denunciatione verò istud non requiritur, quia denunciatus admittitur, ut testis, neque censetur propriè actor, cum nihil agat in vindictam delinquentis, sed quidquid agit est in bonum illius. Hoc posito distracti, sunt Doctores in diuersas sententias: alij enim, ut Divus Thomas in 4. *distinctione 19. quest. 2. artic. 3. quasiuncta 1. ad 4.* Caietanus in *art. 7. quest. 33.* Durandus *quest. 4. ad 1.* & Syluester *verbo accusatio. q. 3.* volunt admonitionem accusationi, non minus quam denunciationi præmittendam esse. Alij verò, ut Sotus, *quest. 4. ad secundam confirmationem.* Abulensis *quest. 97. ad 7.* Angelus *verbo Accusatio.* Richardus *artic. 3. quest. 4.* & alij dicunt in processu accusationis admonitionem non habere locum.

4. Quæ opinio, si de iure in rigore sermo sit, magis probatur, tum quia Capitulo: *Qualiter, & Quando, de accusationibus,* scribitur, sicut accusationem legitimam debet precedere inscriptio, id est libellus, in quo accusatio scripta contineatur, sic & denunciationem charitatiuam monitio. Quibus verbis aperte insinuat, admonitionem ad denunciationem, & non accusationem esse necessariam; tum quia in praxi istud ab omnibus vbique obseruari solet, ut nepe qui vult alterum apud Iudicem accusare, non solet eum priuatim, aut per amicos, prius admonere, saltem nemo est, qui eum, si secreto non monuerit, iniustitiæ, aut peccati redarguat, siquidem vitur iure suo, minusque adhuc Iudex eius actionem, & accusationem, defectu huius admonitionis repudiat: igitur, si summo iure agatur, ad accusationem admonitio non requiritur: tum demum, quia ex natura rei secreta admonitio non respicit forum exterius; est enim natura sua secreta, & quæ probati nequit: agitur enim inter correptum, & corripientem; quamuis inducantur testes, tamen istud non impedit secretum, quia ipsi ad sigillum tenentur: quo fit, ut hæc inductio testium inepta sit ad probationem iuridicam: igitur in accusatione coram Iudice, in rigore iuris, non requiritur præuia admonitio. Dixi, in rigore iuris,

quandoquidem ex charitate, & lenitate, quæ inter homines debet intercedere, præsertim quando est aliqua coniectura, quòd ipsa poterit prodere: non est dubium, quin ipsa præmitti debeat: unde si nihil aliud voluerint auctores prioris sententiæ, credendum hoc modo opinionem eorum esse veram: sed quia videntur loqui in rigore, & iure summo, idcirco eo sensu posterior sententia multò est probabilior. Hæc vsque Duallius; cui adde P. Lugo de *Iustit. tom. 2. disp. 37. sect. 7. n. 81.* & Doctores communiter.

RESOL. XL.

An ordo correctionis non solum in foro conscientie sed etiam in foro externo sit seruandus? Et an si Prælati, vel Iudici constaret iniuriam fieri reo, eo quod denunciatur, vel accusatur, non præmissa admonitione, quando debita est, teneretur, quantum potest commode, denunciationem, & accusationem impedire, & conari, ut Evangelicus ordo seruetur? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 58.

§. 1. AD hanc difficultatem respondet Loeza in *2. 2. disp. 47. num. 28.* ubi sic ait. Dubium est, utrum ordo correctionis non solum in foro animæ, sed etiam in foro contentioso debeat seruari, ita ut denunciatio facta non præmissa secreta admonitione, sit irrita; & repellenda; nec Iudex postea denunciatione admissa procedere iudicialiter. Hoc dubium versat Bañez *art. 8. quinto loco,* & vix percipi potest, quid tandem definiat. Videtur autem in foro exteriori deberi hunc ordinem ex illis verbis *c. Qualiter, & Quando,* ubi sic: sicut accusationem legitimam debet precedere inscriptio, sic & denunciationem charitatiuam monitio, & inquisitionem clamorosa insinuatio: sicut ergo inscriptio, hoc est, libellus, quo accusatio scripta contineatur, & denunciationem accusantis, oblata probatione; requiritur ad accusationem, & tantum, ut aliter admittenda non sit; & sicut ut iudex procedat via inquisitionis, necessitate est infamia, & aliter iniuste procedit; ita etiam videtur admonitionem præxigi ad denunciationem: tum eodem modo Decretalis de tribus his loquitur. Præterea in *cap. Licet Heli, simonia,* cum Abbas Pomposianus delatus esset ad Sum. Pontificem, de multis criminibus, ipse opposuit delatoribus non præmissa fraternam admonitionem: quasi propterea denunciatio admittenda non esset; contra verò delatores testati sunt, eam præmississe. Et in *cap. Accusatus, quest. 2. §. 7.* Hæc & alia, præcipiuntur, ut excommunicentur qui accusarint Prælatos, non prius fraternam correctionem communitos.

2. Nihilominus tamen duo asserenda videntur, primum est. Si Prælati constet iniuriam fieri reo, eo quod denunciatur, vel accusatur non præmissa admonitione, quando debita est, teneretur, quantum potest commode, & conari, ut Evangelicus ordo seruetur: quoniam lege charitatiuæ obligatur vitare illa incommoda, quæ ex denunciatore, vel accusatione reo imminet: si potest alia via peccato, & eius incommodis occurrere. Secundum, Si iudex non possit aliter providere obseruationi ordinis Evangelici, quam declinando iudicium, & repellendo denunciationem, nando iudicium, à qua, qui denunciat, vel accusat, desistere non vult, potest admittere: & si requiratur eius officium, tenetur admittere, quamuis sciat, non præcessisse debitam admonitionem. Probatur primò. Quia nullo iure cautum est; ne illa

illa denunciatio, vel accusatio audiatur. Non positivo ut patet exponendo iura allegata. Nec diuino; nullo enim est Scripturæ testimonium, unde inferatur; Nec naturali; quia ex natura rei secreta admonitio non respicit fori exterioris: est enim natura sua secreta, & quæ probari nequit; nam agitur tantum inter correptum, & corripientem; & si inducuntur alij, fit sub sigillo secreti, & inutiliter ad probationem iudicam: quare non potest in iudicio constare, an præmissa, vel ommissa fuerit; & ideo non potest ab ea dependere publici iudicij exequutio. Et id videtur feruari in praxi. Huc uelque Lorca: qui respondet ad Canones contra adductos.

1. Notandum est tamen hic, & perpetuo mentitendum, id, quod ex eodem Lorca obseruatur, & docet Duallius in 2. 2. r. de Correc. q. 9. art. 5. quod si Prælo, vel iudici constaret iniuriam fieri reo, eo quod denunciatur, vel accusatur, non præmissa admonitione, quando debita est, tenetur, quantum potest commode denunciationem, & accusationem impedire; & conari, ut Euangelicus ordo seruetur; siquidem iudex uidentis alia uia, quam per sententiam suam iudicam, posse æquè bene impedire peccatum, & uitari illius incommoda, tenetur ex vi charitatis, quantum fieri potest, istam denunciationem, & accusationem impedire: quamuis, si nolit accusator, aut delator desistere, nec possit prouidere iudex, ut Euangelicæ correptionis ordo seruetur, non peccat admittendo denunciationem, & accusationem: eius quippe est, se ut iudicæ gerere, nec adeo esse sollicitum, an secreta admonitio quæ est ex lege charitatis, præmissa fuerit. Et omnia hæc præter Duallium, & Lorcam docet etiam Cast. Palaus tom. 1. r. 6. disp. 3. p. 116. Imò Alphons. Villagut in sua pract. lib. 2. tit. de Denunc. Euang. c. 9. concl. 3. & 4. ut obseruat Palaus, docet, debere iudicem antequam denunciationem admittat, interrogare denunciantem, an præmiserit secretam correctionem, testis quæ induxerit; quod si ita fecisse non probauerit, causamque omissionis legitimam non allegauerit, omnino esse repellendum. Sed quod diximus uerius est ob usum receptum. Sed ex his oritur alia quæstio, & ideo quæro.

RESOL. LXI.

An aliquando Prælati possit ex denunciatione Fraternali procedere ad iudicalem, maxime quando delictum est in graue damnum Reipublicæ, vel Communitatis, aut alicuius innocentis?

Et an in hoc casu possit Prælati obligare denunciantem ad denunciandum iudicialiter, & ipse denuncians teneatur id facere, &c.

Et in tali casu an denunciator adhibendus sit tanquam testis? Ex p. 7. tr. 3. Res. 47.

1. Respondet affirmatiuè Trullench. in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 16. num. 8. ubi sic ait. Attamen ualde est probabile posse Prælatum iudicialiter procedere, si esset spes, fore ut per processum iudicalem corrigatur quoque delinquens & alias crimen non esset omnino occultum; sed probabile in iudicio, tunc enim charitas, per quam institutus est processus, imperat iustitiam, ut inchoet processum iudicalem, quo obinetur finis charitatis, qui est emendatio proximi. Ita ille, cui adde Filiucium tom. 2. r. 28. ap. 8. num. 164. & Sanchez Opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 11. num. 8. & alij.

2. Verum contrariam sententiam cum Suarez & Soto tenet P. Lugo de inst. tom. 2. disp. 37. sect. 7. n. 8. Ratio autem est, quia tunc nullam habet notitiam, qua ut iudex possit inchoare iudicium: supponimus enim, non præcedere infamiam: rursus nec est, qui iudicialiter accuset, vel denunciet; nullo ergo modo habet uiam procedendi, nisi ille, qui denunciauit ut patri, uelit denunciare iudicialiter.

3. Ab hac communi, & uera regula fieri possunt duæ exceptiones. Prima est quando delictum esset in graue damnum Reipublicæ, vel alicuius innocentis: tunc enim sicut iudex potest ad præcauendum illud damnum procedere, & postponere famam delinquentis: sic etiam potest uti illa notitia quam habuit, ut pater, (admodum habita sit extra confessionem) & obligare denunciantem ad denunciandum iudicialiter, & ipse denuncians tenebitur id facere, si alia uia non suppetit impediendi damnum illud publicum, vel innocentis. Quod si noluerit adhuc iudicialiter denunciare, poterit Prælati constituitur fiscalem, qui ex officio denunciet, si speret posse probari, & tunc interrogare primum denunciantem tanquam testem, & ipse tenebitur iam respondere, nisi forte excusetur, quia est complex delicti, vel nisi ex illo testimonio merito sibi timeat graue detrimentum, cuius uitationis non debeat anteponeere illud aliud bonum publicum, vel illius innocentis, qui patitur ab eo delinquente.

4. Secunda exceptio esse potest, quando per uiam paternam Prælati non consequitur subditi emendationem, & sperat eam consequi per uiam iudicalem: ad hunc enim finem potest transire similiter in processum iudicalem, obligando delatorem ad denunciandum iudicem, ut dictum est. Quia sicut hoc potest facere propter uitandum damnum tertij, potest etiam propter damnum ipsius delinquentis, cuius non minorem uiam habere debet Prælati. Ita Soto sup. & lib. 9. de inst. q. 6. art. 2. concl. 4. ubi eam exceptionem expressè posuit. Debet autem tunc Prælati procedere ad punitionem solum, quatenus necessaria est ad emendationem subditi, quam intendit, quia cum totus ille processus assumatur, tunc solum propter bonum ipsius subditi, non debet progredi ultra illos terminos boni subditi.

5. Sed est difficultas, an in tali casu denunciator sit adhibendus tanquam testis: & affirmatiuè contra Aragonium respondet Villalobos in summ. tom. 2. tract. 4. diff. 14. num. 5. & 6. ubi ita asserit. Quando no se espera la emienda del pertinax, entonces ya se procede, via iuris, que cessa la correccion fraternal, y empieza la iudicial, segun lo dize Christo: si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. En este caso puede ya el Prælado proceder contra el con censura, y encarcelarle: y se fuere necesario, darle tormento, y auisado confessado, castigarle.

6. La duda queda aora, si quando el Prælado procede a punition, y castigo se ha de contar el denunciador por un testigo. A lo qual responde Soto, que es probable que si, porque es ya distinto processo, que se acabo el de la correccion fraternal, y comienza la iudicial: y parece, que se da a entender en el Euangelio, en aquellas palabras si te non audierit, adhibe tecum unum, aut duos testes, ut in ore duorum, uel trium stet omne uerbum, donde se da a entender, que el denunciador puede ser testigo: porque de otra manera no fueran dos, o tres, y tambien se prouea de un texto, en el qual el Papa induze las palabras dichas del Euangelio.

7. Lo contrario desto tiene Aragon, fundase en que este denunciador siempre le parece sospechoso, y solo lo admite en el crimen de heregia; donde por la atrocidad del delito se admiton testigos; aunque tengan tachas. A mi muy prouable

se me haze la Sentencia de Soto, con que aya Fiscal, o otro denunciador, que denuncie, y se apearie en el segundo proceso de la segunda denunciaciõ indi- cial: y assi se haze en el santo officio; porque de otra manera, cierto es que no puede una misma persona en un mismo proceso ser denunciador, o acusador, y testigo: y al argumento del Maestro Azagon, es facil la respuesta, diziendo que no se puede tener por sospechoso el que tiene tanta caridad, que guarda puntualmente el proceso de la correccion fraterna, que es acto de caridad. Hucvique Vil- lalobos.

RESOL. LXII.

An inter Religiosos peccata carnalia occulta sint den-uncianda Prælo: ut iudici absque prauia corri-ptione? Ex part. 7. tract. 3. Ref. 62.

Supr. in Ref. quæ hic est 64 à §. Quod si, & in Ref. 55 §. vlt. & in R. nor. seq.

§. 1. DE hac quæst. pauld supra aliquid in gene-rali dictum est, & affirmatiuam senten-tiam docet nouissimè Caspensi. in *Cursu Theolog.* tom. 2. tr. 27. disp. 6. sect. 4. n. 39. vbi sic ait: Peccatum fornicationis inter Religiosos debet computari inter crimina excepta: atque adeo ante præmissam moni-tionem, quamuis sit occultum, debet denunciari Prælo: tanquam Iudici, dummodo sit in via, & pe-riculo divulgationis.

2. Et ratione probatur, quia duobus modis pos-est aliquod peccatum tendere in perniciem publi-ecam: vno modo, quia habet pro obiecto proximo bonum publicum, & quia ex genere suo est conta-giosum, & infectivum aliorum, & contaminat Rem-publicam: altero modo respectu scandali, quod inter laicos ex eo peccato oritur, & infamiae, quæ in religionem redundat, quoties in illorum notitiam ven-it. Vtroque autem modo peccatum hoc, de quo loquimur, tendit in perniciem religionis: est enim peccatum viscosum, quod multos passeres implicat. Est etiam valde contagiosum, & infectivum, utpote quod in aliorum subuersionem tendit; qui enim hoc vitio obstrictus est, nititur plures corrumpere, & focios sui criminis haberi securos, ac fideles. Deinde est valde scandalosum, tum quia nullo alio vitio reli-gio redditur tam infamis, quæ pravorum peccatis accetur ab exercendis superioribus ministeriis cum proximis, qui timent ne sibi inferantur damna, quæ audiunt in vicinorum domibus. Tum etiam quia laï-ci, quæ intuentur in vno, suspicantur in cæteris, & toti Ordini detrahunt honorem, ut supra retulimus ex D. Aug. *Epist.* 137. Vnde tot Religiosi perfecti, ieiunan-tes, orantes, diuinas laudes die noctisque decantantes, corpora sua frequentibus castigationibus, cilicis, disci-plinis, in seruitutem spiritus redigentes, ob nimiam quam patiuntur verecundiam cum hæc peccata vul-gantur, nec audent domo egredi, nec elemosynas petere, nec faciem leuare. Itaque nullus prudens negare poterit, peccatum hoc esse contra bonum commune religionis. Quando verò peccata vergunt in publicam perniciem, vel damnum communitatis, omnes fateatur debere denunciari Prælo: ut Iudici ante monitionem: ergo idem & ob eandem ratio-nem fatendum est de hoc peccato, quando est peri-culum publicationis. Eo vel maxime, quia in hoc peccato, regulariter loquendo: parua, aut ferè nulla est spes emendationis per monitiones secretas. Tum etiam quia delinquentis sua culpa liberè voluit inferre damnum toti Religioni, & sic iure, & via defensionis, licitum est illud repellere per medium denuncia-tionis. Nec mutatio loci esse solet remedium: ignis

enim hic non facile extinguitur, sed eum secum per-tat quocumque vadat, & ferè semper ad id delinquit, ut qui vnum locum infecit, alia plura inficiat, & vt scandala multiplicentur, & infamia Religionis ac-crescat. Ergo, &c.

3. Sed circa præsentem quæstionem ne defertur recognoscere me ipsum in part. 3. tract. 2. resolut. 69. Et mihi placet opinio Parris Zacharie à Saluto in *Direct. iud.* cap. 12. vbi docet in peccatis carnalibus delinquentes esse in duplici differentia, quidam quia fragilitate potius quam peccandi libidine in hoc crimen incidunt, quod non captata, sed oblatæ occa-sio illis peccandi ansam præbuit. Quidam verò ex malitia peccantes diu delictum animo ventant, & vndique lapsus occasiones querunt, ingreditur domos suspectas, præcedunt praua colloquia, litera amatoria, donuicula, & alia id generis; & hos posteriores, utpote perueria peccandi libidine animo corruptos, & aliorum corruptores, absque prauia admonitione Iudici denunciandos censet, quia fratram correccionem non tam illis prodesse, quam obesse putat; quia ea non meliores, sed peiores sunt. Priores verò non statim denunciandos esse, sed fra-terna admonitione prius corripiendos, eo quod modus peccandi eam illis profuturam satis perilludat. Ita ille.

4. Vnde à fortiori concedendum est in peccatis carnalibus Religiosos posse procedere ad immedia-tam delationem Prælo: ut patri, quia frequenter non speratur in his peccatis, tam perfecta emenda-tio per priuatum, quam per Prælatum, itaue non sit periculum relabendi: fornicatio enim raro con-tingit vna vice tantum, si perseuerat occasio, nec priuatus potest frequenter tanta autoritate pale-re: ob quod regula illa generalis in delictis recen-sitis est optima. Si quando verò spes vitandi ca-damna per priuatum monitionem sit æqualis, ita-ut moraliter nullum censeatur periculum in altero ex his modis, aut peccata non sint recitata, sed iam emendata cum spe ea non esse iteranda, tunc non obligat lex charitatis ad delationem immedia-tam occultam, & paternam. Et ita mecum docet Hira-d. de Mendoza vol. 2. disp. 163. sect. 5. §. 237. Et ideo si casus accedat in praxi adeat Religiosus, pro consilio pium, & prudentem Confessarium.

RESOL. LXIII.

An sit necessaria correctio fraterna ex peccatis etiam occultis, quæ vergunt in damnum totius? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 51.

§. 1. AD hoc dubium sic respondet Trullen-bach in *Decalogum*, tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 16. numero 3. Quando peccatum licet occultum sit, tamen cedit in maius detrimentum alicuius, vel aliorum, quam sit iactura qualiscumque fame pro-ximi apud Superiorem, vt si quis machinetur noc-erem alteri; tunc enim vita præponenda esset fame. Quare si sciam Petrum velle Ioannem interficere, vel eius bona surripere, teneor ex Charitate malum hoc impedire, si commodè possum, hoc modo, ni-si moraliter credam, profuturam correptionem, eum per me, aut per alios (si hoc magis expediret) corripere: si verò hæc non sufficiant, eum iudici-tanquam Patri denunciare: quod si nec sic sit spes emenda, teneor monere innocentem in communi, vt sibi caueat, non nominando delinquentem. Quid si hoc modo damnum impediri non potest, licet tunc manifestare nocentem innocenti, nam nocens

propter perseverantiam amisit ius ad famam; quod procedit, etiam si delinquens sit indignandus; nam posterior est ratio patientis iniuriam, quam inferentis. Ita Trullench; cui adde Sanchez in *Opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 4. n. 9.* sic asserentem. Quando peccatum occultum est in damnum tertie personae priuatae, & damnum in futurum pender, vt si paretur mors, &c. vel si secretò noui latronem, qui furatus est bona proximi, &c. tunc teneor secretò corrigere, vt restituat, vel cesset à voluntate occidendi, si est spes certa, quòd cessabit à damno; sin minus, teneor Superiori denunciare, si absque meo detrimento possum. Ratio, quia teneor proximum damnum peccantis, melior est conditio patientis iniuriam. Ita Sanchez, qui citat Sotum.

2. Vide etiam circa praesentem Quaestionem Villalobos in *Summa tom. 2. tract. 4. difficult. 12. numer. 1.* Filiucium *tom. 2. tract. 28. cap. 7. numer. 149.* Cunnich *disp. 28. de Charitat. dub. 8. num. 147. & 148.* & Castrum Palaum *tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 13. numer. 7.* qui obleruat magnam esse differentiam inter peccata quae solum peccanti nocumentum afferunt, & inter illa, quae aliis nocent. In peccatis enim solum peccanti damnificantibus, sufficit probabilis spes, seu non desperatio fructus, vt correctio secreta debeat ex praeepto diuino praemitti. At in peccatis damnuna tertio afferentibus requiritur moratus certitudo, seu spes certissima de correctione, & deuitatione omnium damnorum, quae timentur. Quod etiam docet Suarez *de Charitate disputat. 8. sect. 6. num. 6.*

RESOL. LXIV.

An quando praemittitur correctio fraternali in delicto uergente in damnum tertij, & periculum non sit in mora, & speretur correctio, quis peccet contra iustitiam, & crimen tunc aperiendo? Ex p. 7. tr. 3. Ref. 52.

§. 1. **R**espondet affirmatiuè Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 9. num. 62.* ubi sic ait. Si ad auertendum damnum, tertij non est necesse crimen alterius patefacere, sed superest alia via commodior, seu minus noxia, v. g. per fraternali correptionem; non possum aperire: similiter, si nihil iuaret ad damnum auertendum, Prior pars patet, quia esset contra charitatem; tenemur enim minimum laedere proximum quantum fieri potest, tum in illo curando, tum in malis ab illo prouenientibus auertendis.

2. Sed difficultas est, an sit contra iustitiam; crimen tunc aperire? Videri possit non esse; quia nemo habet ius ad famam, per quam aliis nocere patet; seu per quam tribuitur ei probitas vel peritia cuius simulatione aliis esset nociturus. Vnde etiam nemo potest conueniri sibi factam iniuriam, quod illis sui defectus sint patefacti, sed sibi id imputare debet; vt qui per hanc famam aliis nocebat. Deinde, quia potest quis interdum habere ius in famam & vitam alterius, etiam si malum aliter auerti possit; vt si inuadaris, & possis fugere; non enim ex iustitia tenentis fugere, vt supra ostensum est. Sic si accusaris iniuste, & possis euadere vel exceptione fori, vel exceptione contra accusatorem, pandendo crimina eius occulta, non facis illi iniuriam, si pandas. Nilominus altera sententia est communior, praesertim si ille alioquin erat bonae famae. Ita Lessius, cui etiam adde Sayrum in *clauis Regias lib. 11. cap. 4. num. 6.* dum allicet contra facientem peccare iniuste, famam pro

ximi laedendo, sicut Medicus, ait, qui sanare potest absque abscissione membri, iniuriam faceret abscidendo illud, & consequenter teneretur ad restitutionem.

3. Verum exemplum illius non venit ad rem, quia Medicus ex officio & ex iustitia tenetur curare quam minimo damno potest propter stipendium sibi datum; iste uero ex charitate tantum monere. Quamobrem dicendum est, peccare solum contra charitatem, non contra iustitiam illum qui praetermissa hac correctione fraternali, dum utilis speratur, & non periculum in mora, crimen verum, sed occultum alteri nocium statim manifestat, & consequenter ad restitutionem non tenetur. Ratio est, quia nemo tenetur ex iustitia confugere ad faciliorem modum, sed tenetur tantum ex charitate facere; ergo non peccabit contra iustitiam, si istud medium relinquit, & illud assumat, & consequenter dico contra Lessium, vnumquemque hominum ius habere ad manifestandum peccatum proximi nocium alteri, vt hoc nocumentum impediatur: cum enim nemo habeat ius ad nocendum alteri, consequenter non habet ius ad famam, per quam alteri nocere parat: vnde ei non fit iniuria, nec iuste queri potest, quòd sibi iniuste fama auferatur, sed solum quòd sibi illicite, & praetermissa faciliiori medio à Christo Domino relicto auferatur, cum damno proximi alio modo posset obuiari. Et hanc sententiam tenet Fagundez in *Decalogo tom. 2. lib. 8. cap. 6. n. 6.*

RESOL. LXV.

An quando proceditur via denunciationis iudicialis in delictis tendentibus in damnum communitatis, sit praemittenda fraternali correctio?

Et an in dicto casu sit contra iustitiam, & Charitatem non praemittere correctionem fraternali?

Et notatur, quod est magnum discrimen inter haec crimina, quando sunt omnino occulta, & improbabilia, & quando sunt occulta probabilia tamen.

Etiamque aduertitur delicta pertinentia ad S. Officium esse denuncianda, etiam si sint occulta, & probari non possint. Ex part. 7. tractat. 3. Resolut. 53.

§. 1. **R**espondeo; quòd si per monitionem secretam delinquenti, vel alteri tertio factam sufficienter intelligitur damnum imminens reparari, clarum est, non habere locum iudicalem denunciationem: haec enim solum apponi potest in praesenti ad impediendum damnum tertij, vel communitatis. Si ergo hoc impeditur sufficienter medio alio non ita nociuo, & infamatorio delinquentis, illud medium debet apponi, & denunciatio iudicialis omitti; debet enim proximum mederi minori damno, quo potest: excipiendum tamen est crimen haereticis ob ea quae ibi diximus.

2. At si praesumitur delinquens non corrigendus per secretam monitionem illi vel tertio, cui damnum parat, factam, plures Doctores videntur affirmare non posse ad denunciationem iudicalem deueneri, sed debere dicere Praelato, vt Patri, vel alius, vt obleruent, & possint esse testes in iudicio: ita Durandus in *4. dist. 19. quest. 4.* Soto *de secreto memb. 2. quest. 4. conc. 2.* expressè Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 2. num. 368.* in *2. edit.* Henricus *aluis relatis, lib. 13. de excommunicatione, cap. 18. num. 3.* Emanuel Sa *verbo censura, num. 3.* & in *edit. Romana verbo correctio.*

Ad elucidandam doctrinam huius Ref. lege deus praecedentes Res.

num. 5. & verb. denunciati. Suar. de Char. disput. 8. sect. 7. numer. 6. sine, loquens de delictis, quæ cedunt in commune damnum dicit: si occulta penitus sunt, hoc est, si nullus alius præter te sciat, superiorem esse admonendum, ut vigilet. Inferitur ergo non esse a monendum, ut possit iudicare.

3. Ratio horum Doctorum ea est, quia non potest esse iudicium sine sufficienti probatione. Ego ubi hæc est impossibilis cessat obligatio denunciandi, quæ ad iudicium complendum ordinatur. Neque ob stare videtur aduersus hanc doctrinam usus Prælatorum peccat omnino occulta sibi denunciare præcipientium, ubi certum est non præcipi denunciationem per eam, sed iudicalem, siquidem coram secretario, & propria manu signatur denunciatio, & illa facta sine vlla correctione secreta Fiscalis accusat, & denunciantem, v. testem præsentat, & delinquens capitur, & punitur. Non enim, inquam, obstat hic usus, nam Prælati procedunt via inquisitionis generalis, ipse autem denunciatus debet videre quæ denunciare debet Prælati; non enim iudices limites charitatis fraternæ in illis casibus, in quibus ipsa obligatio transgredi intendunt: neque peccat, quæ probabilia non sunt, sed penitus occulta volunt ad suum tribunal deferri, ut optimè dixit D. Th. 2. 2. quæst. 33. art. 7. ad 5. Talium enim peccatorum dum probabilia non sunt, solum est iudex ipse Deus, cui omnia sunt manifesta.

4. Sed propterea ego teneo negatiuam sententiam, quam tueri doctus, & nunquam sitis laudatus P. Galpar. Hurtadus tract. de iudic. forensi, disput. 2. difficult. 4. ubi sic ait: Valentia verò disput. 5. quæst. 12. punct. 1. Azor. 3. part. lib. 13. cap. 3. dub. 3. Angles de corrept. artic. 2. difficult. 2. & Bonacina disput. 10. quæst. 3. punct. 1. docent, & meritò etiam quando peccata sunt occulta posse fieri delationem iudicalem, etsi non præcedat monitio, quamuis ea monitione esset obuiandum peccato, & eius nocumento, & id probabile existimat Petr. Nauarr. lib. 2. c. 4. num. 257.

5. Et in primis, quod id possit fieri absque iniustitia contra peccatorem, in quo nobiscum conueniunt Petrus Nauar. Salon. & Less. probatur, quia licentia naturalis, quæ vnicuique inest ad iuridicè deferendum peccatum, non solum est ob emendationem peccati, & ob obuiandum damno illius, sed etiam ob bonum Reipublicæ, nempe ob punitionem iuridicam, quæ est maximè expediens Reipublicæ, ergo quamuis peccatum emendandum esset, & obuiandum damno illius, secreta monitione, etiam superest adhuc legitima causa, ut absque iniustitia contra peccatorem fiat iuridica delatio absque præuia secreta monitione, ut nempe peccatum commissum puniatur, in terrorem saltem aliorum.

6. Et quòd id non sit contra charitatem probatur, quia punitio, & etiam infamia criminosa, maximè compensatur promotione boni communis proueniente ex delatione iuridica quod absque læsione charitatis, & misericordiæ erga peccatorem anteponi potest impunitati, & famæ ipsius, qui liberè deliquit: præsertim quod non est peccatum aliud quod commissionis contra charitatem, nisi fiat ex odio personæ.

7. Ex quo constat id non esse contra iustitiam, neque contra charitatem, & quamuis ad Evangelicam, seu paternam delationem, quæ minus nociua est peccatori, quam iudicialis, debeat ex iustitia, & ex charitate, vel ex misericordia præmitti secreta monitio in peccatis occultis, & ex charitate, vel ex misericordia in publicis, ut si ea monitione emendandus si peccator, nequit paternè denunciare, non tamen præmitti debet ad denunciationem iudicia-

lem, quia hæc ordinatur ad publicam vindictam, seu punitionem maximè expedientem Reipublicæ, quæ ob hanc conuenientiam potest anteponi impunitati, & famæ peccatoris; paterna verò, seu Evangelica tantum ordinatur ad emendationem peccatoris, & ideo quando fieri potest hæc emendatio secreta monitione absque infamia peccatoris apud superiores, nequit saltem absque iniustitia ei deferri, ne apud ipsum infametur, sed tantum est secretè monendum. Huc vique Hurtad. Complutens. cui præter Doctores ab ipso citatos, adde Castr. Palaum, ubi infra, & omnino videndum Cardinal. de Lugo de iust. tom. 2. disp. 37. sect. 7. n. 79. & seq. Villalobos in suam. tom. 2. tr. 4. difficult. 11. num. 2. & 4.

8. Adde, ut bene obleruat Castr. Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 13. num. 10. quòd hæc denunciatio non tam ad punitionem delinquentis, quam ad præcauendum damnum, quod intendit inferre, ordinatur. Ergo non est curandum, quòd ipse delinquens infametur, vel vexetur per denunciationem, hæc enim consequuntur per accidens, quod enim primò intenditur, est defensio innocentis, vel boni communis. Neque obstat delictum probari non posse, si sciens non teneatur denunciare, quia non denunciatur, ut probet delictum, sed ut damnum impediatur, quod per denunciationem impeditur: & licet sufficienter per denunciationem damnum non impediatur, nihilominus deberes denunciare, quia per denunciationem aperis viam iudici, ut inquirat, & quærat media impediendi.

9. Notandum est tamen hic obiter magnum esse discrimen inter hæc crimina, quando sunt omnino occulta, & improbabilia, & quando sunt occulta, probabilia tamen; nam in hoc casu possunt denunciari Iudici, ut iudici, ut puniantur in priori solum possunt ei denunciari, qui posset prodere, & non obesse, id est iudici tanquam patri, ut remedium adhibeat, non autem ut iudici, ut puniat.

10. Sed nota hoc esse limitandum quando hoc sufficit ad remedium; quando verò id non sufficeret, posset denunciari iudici, ut iudici, dicendo, me id probare non posse, sed ut iudex ipse ex suo officio prouideat, & inquirat. Imò quando crimen illud est occultum, & tendens in damnum priuatæ personæ, ad quod cauendum nec sufficit monitio, nec denunciatio facta iudici, ut patri: potest manifestari illi priuatæ personæ, cui damnum imminet, & illa potest dicere iudici, ut iudici, ut se protegat. Et hæc omnia docet Sanchez in opus. tom. 2. lib. 6. c. 2. dub. 4. numer. 8. Nota etiam delicta pertinentia ad S. Officium esse denuncianda, etiam si sint occulta, & probari non possint; & contrarium asserere est censura dignum.

RESOL. LXVI.

Quando liceat Prælati procedere via iudiciali aduersus denunciatum? Ex part. 7. tractat. 5. Resol. 59.

§. 1. Prima sententia est Soti in Releu. de secretis membr. 2. quæst. 4. post concl. 7. ubi negat posse Prælatum infligere pœnas iuris ei, qui fraternè denunciatus contumitur per propriam confessionem, aut per testes, si proponat, inquit, se corrigere. Et paulò inferius concedit id fore licitum, si denunciatus sit pertinax, & incorrigibilis; & in hoc articulo, inquit, de finit correctionis fraternæ via, & incipit via iudicialis.

2. Probatum hæc opinio, quia in Evangelio non

De Correctione Fraternali. Res. LXVII. & c. 321

non præcipitur, vt habeatur talis pro ethnico, nisi quando Ecclesiam non audierit: Ergo si Ecclesiam audierit, neque est excommunicandus, neque alia pena plectendus. Secundum autem dictum suum (scilicet id licere, quando quis est incorrigibilis) probat Sotus ex illo: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.*

3. Secunda opinio est Caietani in 2. 2. *quest.* 33. *art.* 8. in fine, qui contra videtur sentire, quòd erit quidem id licitum, si spes sit fore vt reus per penas eiusmodi legales tandem corrigatur: illicitum autem si non sit spes correctionis, nisi, inquit, peccatum esset quoque perniciosum aliis. Videtur namque Caietanus non solum velle, quòd cum non est spes correctionis, & peccatum aliis non nocet, sit illicitum procedere contra reum, vt fratrem tantum denunciatum (in quo sensu Caietano Sotus etiam assentitur loco cit. id enim certum est) sed quòd neque id liceat transeundo ex via correctionis fraternæ ad viam iudicalem: Idque propterea quia cum tota res fuerit primò incepta ex charitate, propter bonum particulare ipsius fratris; ibi profusus erit cessandum, vbi cessat spes emendationis ipsius, vt argumentatur Caietanus.

4. Tertiam sententiam ex Bañez docet Valentia tom. 3. *disp.* 4. *quest.* 9. *punct.* 5. & consistit in duobus dictis. Primum, quando liceret procedere via iudiciali propter exemplum aliorum, vel bonum commune, non interueniente correptione fraternæ, licet etiam ea interueniente, quia virtus charitatis cuius actus est correptio, non præiudicat virtuti iustitiæ, ad quam pertinet ille processus iudicialis. Ergo si est licita actio iustitiæ sine illa charitatis, erit etiam licita cum illa.

5. Secundum in duobus casibus non modò esse licitum, quòd dictum est in præced. dicto, verum etiam esse debitum. Primus est, quando oporteret denunciare iuridicè crimen, aut de illo inquirere, vt si esset perniciosum Reipublicæ: secundus, quando esset spes fore vt per processum iudicalem corrigatur quoque delinquens; tunc enim charitas, per quam est institutus processus correptionis, imperat iustitiæ vt processum iudicalem inchoet, quo obtinetur finis charitatis, qui est emendatio proximi. Et hæc tertia sententia videtur valde probabilis, & præferenda cæteris. Et ideo illam etiam docet Filliuc. tom. 2. *tr.* 28. c. 7. *n.* 164.

RESOL. XLVII.

An Rector vel Prior alicuius Collegij, seu domus peccet manifestando Prouinciali, vel Generali delictum occultum, si ipse potest absque tali manifestatione fratrem emendare? Ex p. 7. tractat. 3. Resol. 48.

§. 1. Videtur affirmatiuè respondendum, ne Prouincialis ignarus delictorum fratris exponat illum aliis similibus, vel grauioribus committendis. Hanc sententiam probabilem putat Caslr. Palaus tom. 1. *tract.* 6. *disp.* 3. *punct.* 11. *num.* 6. Si enim probabile esse diximus in materia detractionis reuelare peccatum vni, vel duobus viris grauib, qui magis prodese possunt, quam obesse, non fore peccatum mortale, etiam si ex levitate, & loquacitate reueletur; à fortiori probabile erit, quando ex recto sine manifestatur, & ex alia parte non leuis conuenientia intercedit.

2. Verum his non obstantibus contrarium tenet Palaus loco cit. quia, ait ille ex affirmatiua sententia ostium aperitur manifestandi pluribus delictum com-

missum, probabilis existimò non licere Prouincialem moneri: nam si solum ob maiorem securitatem à recidiuo, & non ob necessitatem, quæ appareat, licet monere: etiam licebit monere quemlibet superiorem immediatum, quem delinquens habeat, & Prouincialem sequentem, cum tunc securior erit delinquens à recidiuo, quòd quidem non est concedendum.

3. Et ideo Trullench. in *Dical.* tom. 1. *lib.* 1. c. 5. *dub.* 16. *num.* 1. sic ait: Peccat etiam superior immediatus Collegij, si quando potest se solo delinquentem à reincidencia præcauere, delictum Prouinciali manifestat, quia absque illa manifestatione poterat lucrari proximum.

RESOL. LXVIII.

An quis teneatur ad correctionem, quando proximus delictum non cognoscit?

Et dubitatur, vtrum peccata, quæ quis ignoranter committit, subsint præcepto correctionis?

Attendant Prælati, & Confessarij, & in aliquo casu etiam priuati, & valde in mente, & promptu teneant omnia, quæ deducuntur ex doctrina huius Resolutionis, & sequentis, quæ sunt valde notanda, & sapiens in praxi contingentia. Ex p. 7. tr. 3. Resol. 18.

§. 1. Respondeo quòd si id procedat ex ignorantia vincibili, & culpabili, clarum est te obinde excusari non posse, cum illa ignorantia non excuset proximum à peccato. At si ex ignorantia inuincibili legem transgrediatur, plures Doctores docent te obligatum non esse. Qua ratione dicunt nullam esse obligationem monendi comedentes carnes die veneris, vel non audientem Missam die festo, si ignorantia inuincibili præcepti laborant. Tum quia proximus non est absolute in statu spiritualis miseræ, cum non peccet, tum etiam quia præceptum correctionis est de peccato proximi, iuxta illud, si peccauerit in te. Ergo vbi non adest peccatum, non est obligatio, & ita tenet loquens de ignorantia iuris positui, Bañez, *dub.* 3. *quest.* 33. *art.* 5. Nauarr. c. 24. *num.* 12. & 13. & Valent. *disp.* 3. *quest.* 10. *part.* 2. §. cum tamen. Villalobos *tract.* 4. *difficult.* 4. *num.* 6. Bonac. *disp.* 3. de Charitate, *quest.* 4. *part.* 7. *n.* 10. De qualibet ignorantia id affirmat, modò non vergat in graue detrimentum ipsius delinquentis, vel tertij, neque obligatus sit ex officio.

2. Sed hanc sententiam non admittit P. Lorca in 2. 2. *D. Thoma, questione* 33. *articulo quinto, sect.* 3. *disp.* 41. *numero* 14. vbi sic ait. Dubitari solet, vtrum peccata, quæ quis ignoranter committit, subsint præcepto correctionis? Et sermo est, cum interuenit ignorantia inculpabilis, nam si ignorantia culpabilis sit, quæ non excusat à peccato, non potest esse discrimen inter hæc & alia peccata. Nauarr. *vbi supra*, & super *cap. Si quis autem, de penitentia, dist.* 7. *num.* 71. docet, non esse præceptum, hæc peccata corrigere, quia sic agens penitus excusatur à culpa. Et quamuis videatur loqui de peccatis, quæ sunt ignorantia inuincibili iuris positui, sed verè generatim loquitur de ignorantia cuiuscumque iuris; nam ratio qua vitur, probat de omnibus. De iis verò, quæ sunt ignorantia iuris positui, speciatim id docet Bañez *dub.* 3.

3. Sed verior est sententia Antonini 2. *part.* *titul.* 9. §. 4. Syluest. *verbo* *Correctio, dub.* 10. Angeli *eodem verbo, num.* 6. afferentium, ea quæ natura sua peccata sunt, licet propter ignorantiam cuiuscumque iuris vel facti excusentur à culpa, materiam esse correctionis.

Sup. hoc supra in Res. 31. §. 1. & infra in §. D. xi. huius Res.

rectionis. Hæc sententia imprimis indubita est de Prælati, & iis, quibus quocumque titulo inest obligatio docendi, & instruendi alios; in quibus comprehenditur Confessarius, qui huius generis ignorantias tenetur amovere à penitentibus, vt fert communis sententia in tractatu de confessione. De his verò, & omnibus vniuersim probatur primò. Quia ignorantia ipsa malum est & miseria, quam vera charitas expellere tenetur. Secundò, Quia actus ipse deficiens est, & malus in seipso, & quamuis excusetur ignorantia, aliquod malum materialiter saltem inducit. Cæterum, hæc obligatio arctior erit illis, quibus ex officio incumbit docere; arctior erit, & omnino irrefragibilis, si ex peccato, vel alio facto, quod ignorantem fit, oriatur aliquod nocuum spirituale, aut temporale ipsius qui peccat, vel alterius, vel Reipublicæ.

Sup. hoc in
Ref. seq. § 1.
& 2. Sed le-
ge eam per
totam.

4. Veruntamen hæc sententia temperanda, vt solum sit præceptum corripiendi ignorantem, quando ex correptione eius utilitas speratur, & non potest timeri aliud genus damni ipsius, aut alterius, puta scandalum, vel quia quod ignoranter facit, nihilominus faciet, postquam nouerit esse peccatum; quoniam incommodum ignorantia, & materialis peccati, quod à culpa excusatur, minoris momenti est, quam quodcumque aliud certum nocuum animæ, aut corporis. Et idè Innocentius III. in cap. Quia circa, De consanguinitate, præcepit, vt qui bona fide contraxerant matrimonium in gradu prohibito, nec admonerentur erroris, nec separarentur; quia id sine magno scandalo fieri non poterat. Si verò ex illa ignorantia ultra actum ipsum oritur aliquod detrimentum, & ex admonitione timeri etiam possit: eligendum est quod prudentis arbitrio minus apparuerit. Hinc vsq; Lorca.

5. Et idè ego puto adhibendam esse correptionem, quando quis peccat ex ignorantia inuincibili iuris, tam naturalis, quam positum, si speretur fructus; secus, si non speretur fructus.

6. Prima pars probatur, quia hæc ignorantia est graue malum Proximi, quod quisque prudens vellet à se auerti, & quod etiam quisque quantum potest, tenetur euitare: nam quisque tenetur discere scitu necessaria ad rectè viuendum: cognitio autem talis iuris est necessaria ad rectè viuendum; vt magis patebit ex dicendis.

7. Probatur secundò, quia hanc ignorantiam consequuntur graua mala. Primò peccata materialia, quæ multum dedecent naturam humanam, maximè quando sunt contra Ius naturæ. Secundò, periculum ne talis tandem etiam formaliter peccet, quando hæc ignorantia incipiet ei esse inuincibilis. Nam propter assuetudinem liberè eiusmodi actus committendi, postquam incipiet de eorum malitia dubitare, difficulter ab iis abstinere; atque ita vel ex effectu circa tales actus, aut quia fortè pudebit ab aliis discere veritatem, atque ita suam fateri ignorantiam, perseverabit in antiqua inscitia & consuetudine, cum graui animæ damno. Tertio, quia sæpè est periculum scandali: facile enim contingit talem similia facere coram aliis, qui eius exemplo, vt similia faciant, petrahentur. Quarto, quia honor Dei obligat me, vt quantum commode possunt, vitæ etiam peccata materialia, tam in me quam in aliis.

8. Secunda pars probatur, quia quando non speratur fructus, ne quidem teneor corripere peccantem formaliter, quia correptio esset inutilis. Nota tamen fructum huius correptionis non esse spectandum ex sola emendatione eius, qui corripitur, sed quandoque etiam ex aliis rebus. Hinc præsertim superior peccatis tenetur eum corripere etiam aliquando cum peccat ex inuincibili, siue probabili ignorantia, adeo-

que excusante à culpa, etiam si vix vlla sit spes emendationis, ne is, qui sibi non omnino certo peccabat suam actionem esse licitam, idè quæ minus audacter minùque frequenter eam exerceret, videretur superiorem eam non reprehendere, crederet ipsam hanc approbare, atque ita audacius eam faceret, & postea difficillimè posset de veritate instructi. Quòd maximè locum habet in eo, qui habet solum probabilem opinionem, quod sua actio sit licita; aut quando eius ignorantia non potest dici esse inuincibilis, quod in ignorantia iuris communiter accidit. Secundò, quando ex opere ita ignoranter committit quod aliqui vident aliquem coram superiore talia facientem, nec ab eo corripitur; facile enim sibi petunt superiorem ea approbare.

9. Ex quibus patet: superiorem ferè semper teneri tales corripere, præsertim quando coram alio peccat; etsi probabilis putet talem sua correptione non emendandum; quia aliis grauius alio noceret, quos, illum non corripiendo, scandalizaret. Hinc sanctus Paulus Actor. 20. Ephesus ait: Quapropter confessor vos hodierna die, quia mundum iam à sanguine omnium; non enim subterfugi, qui minus annunciatem omne consilium Dei verbum. Vbi insinuat, se non futurum mundum à sanguine sine interitu eorum, si eos quiquam cessasset. Idcirco dicendum de privato, quando correptio necessaria est ad vitandum scandalum, aut graue malum allicium tertij. Et hæc omnia docet Coninch. de Charitat. disput. 28. dub. 4. num. 38. & seq. cui adde Callum Palaum num. 1. tract. 6. disputat. 3. puncti. 4. numer. 4. Vide etiam Villalobos in summa tom. 2. tract. 2. disp. cul. 4. per totam.

10. Nota etiam quòd laborantem inuincibili ignorantia facti, & idè peccantem, præsertim contra ius diuinum vel naturæ, vt si contrahat cum cognata, teneor monere, si sine vilo incommodo illi facere possim, & speretur emendatio; si verò hæc non speretur, aut si graua incommoda timeantur, teneor tacere: etsi Superior sim, modò absit scandalum.

11. Dixi, præsertim quando peccat contra ius diuinum, vel naturæ, quia si tantum peccet contra ius humanum, vt si ignorans esse feriam sextam, solus, siue ita vt alij inde nequeant scandalizari, comedat carnes, cum illa comestio per se non dedecet humanam naturam, & materialis illa violatio iuris humani sit parui momenti, aut parum aut vix obligat proximum ab eo facto auertere, maxime si vel leuem aliquam rationem habeam cor illi non faciam. Ita Bañez 2. 2. question. 33. articulo 2. dub. 3. conclus. quarta & 5. & Nauarr. capit. 24. numero 12. Superior tamen præ aliis facilis obligatur, vt talem moneat; quique etiam tenetur in casu scandali.

12. Sed non deseram hic adnotare Callum Palaum ubi supra docere plures Doctores hanc opinionem, vt vilius est admittere tantum in iure diuino, naturali, non autem in ignorantia iuris positiui; verum ipse putat eandem esse rationem de vtroque iure, scilicet reuerentia legis, & transgressio materialis illius, & malitia ignorantia, idè de omnibus asserit adesse obligationem monendi, & corrigendi: sed stando in nostra sententia, reliquos casus practicabiles adducendos esse puto.

RESOL. LIX.

Enumerantur aliqui casus, in quibus laborantes ignorantia non sunt admonendi, si spes correctionis absit.

Set in promptu omnes Confessarii habeant casus contentos in textu huius Resolutionis quia saepe occurrunt in facto. Ex p. 7. tr. 3. Res. 19.

§. 1. **S**i sciam, ait Coninch *disp. 28. de Charitate dub. 4. num. 45.* alios propter cognitionem aut affinitatem inualidè contraxisse, idque eos inuincibiliter ignorare, si sperem eos facillè inducendos, vt impetrent dispensationem, & sine turbis rursus contrahant, teneor ipsis veritatem aperire; si verò probabiliter metuum ne graues turbationes sequantur (vt si alteruter cum graui alterius, aut amicorum perturbatione, & prolium damno credatur facturus diuortium) teneor tacere si credam rem mansuetam omnino occultam.

2. Idem dicendum in quibusdam peccatis commissis ex ignorantia iuris, non ita passim noti, & quod non potest nosci, pertinere ad hunc in particulari, v. g. confitetur aliquis se cognouisse consanguineam uxoris suae, hic secundum communem sententiam non potest petere debitum; confessarius tamen (nisi possit fore cum eo dispensare; vt licet debitum peccati) communiter melius faciet relinquendo illum in sua bona fide, qua putat sibi licere petere debitum; quia si aperiat illi veritatem, postea formaliter peccabit petendo debitum; & communiter non est verosimile futurum, vt idèd abstineat à petendo debito: quam diu autem manet in bona fide solum peccat materialiter sine villo periculo scandali. Quòd si confessarius possit dispensare: aut certè credat alterum cognita veritate ante obtentam dispensationem non petiturum debitum, deberet illi aperire veritatem.

3. Idem videtur dicendum de eo, qui iam desponsasset sibi aliquam, cuius consanguineam occultè cognouisset, penitus ignorans id esse impedimentum dimens; & iam instantes nuptiae non possent sine graui scandalo differri; posset enim confessarius eum relinquere in bona fide qua hic crederet illud nullum praestare impedimentum his nuptiis. Colligitur ex Valentia *hic quaest. 10. punct. 2. §. Certum est, & sequentibus.* Vbi absolute docet, non esse monendos peccantes ex inuincibili ignorantia iuris, quando non speratur emendatio: atqui in dicto casu, vel nulla, vel vix vlla est spes emendationis; vix enim credibile est talem posse induci, vt cum tanta sua nota, & criminis suspicione, & graui suorum omnium offensione à nuptiis abstineat, aut eas differat, maxime si diu differri deberent quod communiter contingit, si prius dispensatio petenda sit. His adde, etsi nuptiae crederentur differendae, aut omnino impediendae; si tamen id non posset fieri sine graui multorum offensione & suspicione causae, ob quam differantur, videri potius tacendam veritatem ob grauiam incommodam, quae possunt aliàs sequi, v. g. odia grauiam, turbationes familiarum, &c. quae magis vitanda sunt, quam illa peccata materialia. Vnde Valentia *suprà §. Propter cuius,* putat raro accidere, vt qui ex inuincibili ignorantia contraxerunt inualidè sint monendi. Eadem autem est ratio in casu istorum sponsorum, vt cum aliis expressè docet Sanchez *lib. 2. de Matrimonio disp. 38. num. 6. additque n. 7.* confessarium in eo casu non solum posse, sed etiam teneri tacere.

4. Excipe casum, quo Confessarius facillè posset iniquitate occultè dispensationem, vt sponsi possent

inter se contrahere, aut vt ij qui ob occultum impedimentum inualidè contraxerunt, possent iterum secedere contrahere; & omnino crederet se id sine turbis posse efficere. Est tamen hac in re satis magna difficultas, quando impedimentum est ortum ex crimine cuius altera pars omnino ignara est. Et haec omnia docet Coninch, cui adde Trullench *in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 1. n. 6.* qui apponit ex Bonacina exempla de eo qui contractum vlturarium inuit inuincibiliter nesciens esse vlturarium, aut qui inualidè confessus est, aut qui iniuste possidet primogenituram, & etiam subdit ex dicto Bonacina, quòd poterit Confessarius cognoscere poenitentem laborare ignorantia inuincibili, ita vt non teneatur illum admonere, si bono modo curet intelligere, an poenitens credat, se in bono statu constitutum esse, vel an dubiam habeat conscientiam. Sit tamen cautus confessarius, ne dubium malae fidei ingerat poenitenti, dum non sperat fructum correptionis, sed de hoc *infra dub. sequent.* Vide etiam Reginaldum *tom. 1. lib. 4. c. 25. n. 354.*

RESOL. LXX.

An teneamur corripere infideles?

Et verum infideles ad corrigendos alios sine fideles sine infideles obligentur? Ex part. 7. tractat. 3. Res. 20.

§. 1. **V**idetur negatiuè respondendum, quia Christus *Matth. 18.* solum iubet nos corripere fratrem peccantem: atqui infidelis non est noster frater, quia nec est filius Dei, nec Ecclesiae. Et ita hanc sententiam docet Layman *in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. c. 7. n. 2.* sed omnino dicendum est nos teneri etiam tales corripere, quando est spes fructus, ac reliquae conditiones adsunt, vt hoc praecipuum obliget: nam etiam in his militat eadem ratio, quia nimirum charitas Dei, & proximi nos obligat, vt quantum commode possumus, Dei iniuriam, & proximi graue malum auertamus; quod per eiusmodi correctionem fit: nam per eam impedimus peccata infidelis, quae sunt vera iniuria Dei, & graue illius malum, & ipse est etiam noster proximus per charitatem diligendus. Et potest etiam dici aliquo modo noster frater ratione communis naturae, & originis ex Adamo. Et ita hanc sententiam tenent communiter Doctores teste Coninch *disp. 18. de Charitate, dub. 4. n. 49.* & Filiucio *tom. 2. tract. 27. c. 5. dub. 120.* Francisco del Castillo *in 3. sentent. tom. 2. disp. 6. de correct. q. 5. n. 7.* Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 10. punct. 3.* licet videatur discrepare Bañez *in 2. 2. quaest. 33. artic. 2. dub. 1.* tamen re vera nobiscum sentit: Sic enim ait Cæterum circa infideles excusamur à correctione fraternali; quia quiauis illi sint proximi, non tamen dicuntur fratres in sacris litteris, eò quòd non conueniunt nobiscum in religione, & cultu caelestis Patris. Hoc patet ex illo Apostoli 1. Ad Corinth. 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, &c.* Item quia ordo correctionis fraternalis quae in Euangelio describitur *Matth. 18.* non loquitur de infidelibus, quoniam inquit, *dic Ecclesia, quòd si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* Veruntamen maxime excusamur: quia nulla nobis est spes correctionis infidelium, & quia conuersari cum illis non est tutum, sed potius scandali occasionem huiusmodi conuersatio pareret. Si quis autem existimat se potentem illos corrigere non solum ab infidelitate, sed etiam si maneant infideles, & corrigantur à vitis contra legem naturae, teneatur praecipuo Charitatis illos corrigere. Ipse tamen Pontifex summus tenetur ex officio iure diuino prouidere de Praedicatoribus ad infideles mittendis, vbi

vbi fuerit spes conuersionis illorum. Ceteris verò fidelibus ex charitate incumbit, si commodè fieri potest talis prædicatio cum aliqua spe conuersionis infidelium, & sine periculo propria salutis.

2. Notandum est etiam infideles teneri etiam ad alios corrigendos, & idè Duallius in 2. 2. tractatu de Charitate, quest. 9. art. 4. sic ait: Quæres vtrum infideles ad corrigendos alios, siue fideles, siue infideles obligentur? Respondeo, teneri; cum enim præceptum hoc fundamentum habeat in natura, & præca ratione, quæ ad vniuersos homines etiam infideles, se extendit, scilicet quatenus tenentur suis proximis, in necessitate, quæcumque illa sit, siue spiritalis, siue corporea, subuenire, non est dubium, quin infideles correctionem hanc fraternam seruare debeant. Vnde Aristoteles asseruit, amicis subueniendum esse, potius in moribus quam in pecunia. Ita ille, cui adde Lorcam in 2. 2. disput. 42. num. 2. & Maldertum in 2. 2. quest. 33. art. 2. dub. 2.

RESOL. LXXI.

An correctio adhibenda sit peccatoribus publicis vt meretricibus, vsurariis, &c? Ex p. 7. tr. 3. Rel. 33.

§. 1. **V**idetur prima facie respondendum negatiuè; quia ita faciens se opponit licitæ Magistratus permissioni; sunt enim quædam peccata, quæ in Republica prudenti, immò necessariò arbitrio permittuntur, vt vitentur grauiora: quo pacto Republica sustinet meretrices, de quibus dixit Augustinus lib. 2. de Ordine, cap. 4. Tolle meretrices à rebus humanis, & omnia turbabis libidinis. Quo ergo iure hæc peccata non emendantur correctione iudiciali eodem veratur non esse emendanda correctione fraterna; nam eadem inconuenientia sequi videntur, siue vno; siue alio modo auferantur. Propterea horum correctio, ferè ab omnibus negligitur, etiam à viris timoratis; est autem rigidum, peccati reos existimare tot, quot huius generis peccata corripere negligunt.

2. His tamen non obstantibus dicendum est, quòd si speretur emendatio, supradicti publici peccatores sunt corrigendi: Et ratio est, quia & Deus offenditur ac proximus sibi malum infert. Ergo si hæc auertere potes absque periculo grauioris mali, obligaris. Quòd autem id fieri possit, constat, quia conuersione vnus vel alterius non tollitur quin aliis pluribus peccatoribus permissio malè viuendi à Magistratibus concedatur, ex quo manifestè constat differentia, quare magistratus non teneatur hos peccatores impedire, & remouere, sed possit illos permittere, tu verò tenearis vnum, vel alium corrigere quia magistratus non potest vnum, vel alterum corrigere, quin omnes impediatur, cum non adit ratio, ob quam potius vni, quam alteri permissionem concedat. At tu ex correctione vnus non obligaris omnes corrigere, neque ex vnus correctione omnes correcti manebunt.

3. Nec obstat dicere, quòd si ego publico vsurario persuaderem, vt desisteret dare ad vsuram, sequeretur idem incommodum, quod magistratus intendit vitare, permittendo ei exercitium vsuræ, scilicet quod multi grauius indigentes mutuo & non reperientes mutuant, premerentur grauissimis difficultatibus.

4. Respondeo, duplex esse discrimen inter Magistratum permittentem publicum vsurarium, & inter priuatum omittentem eum corripere, quando ipsum ea ratio possit facillè emendare. Primò, quia si magistratus hunc vsurarium ab eo exercitio impediatur, debet omnes impedire, quia nulla est ratio

cur id vni magis permittatur, quam alteri, atque hæc dicta incommoda necessariò sequerentur. Secus est si priuatus alicui vsurario persuadeat vt ab vsurariis desistat, quia nunquam periuadebit id omnibus, atque ita semper erunt sufficientes, qui populo hæc iura satisfaciunt. Secundò, quia, etiam magistratus per se non potest impedire ne huiusmodi homines publice vitare exciteant: nequit tamen efficere, vt in animo à peccato verè ad Deum conuertantur; aut etiam occulte peccatores definant: quod tamen facit priuatus, qui eos efficaciter corripit, atque ita eorum animas lucratur: quod magistratus facere nequit.

5. Et idè nostram sententiam tenent Maldertus in 2. 2. D. Thom. q. 33. art. 2. dub. 3. in fin. Conzinch. disp. 28. de Charit. dub. 3. num. 33. Palau. rom. 1. tra. 6. disp. 3. pun. 2. n. 4. Lorca in 2. 2. D. Thom. disp. 41. num. 4. qui tamen optimè obseruat plures excusari à correctione istorum; vel quia cum in notitia omnium sint, sunt alij qui facilius & melius eos corrigere possunt, vel quia in his raro speratur fructus, & vtilitas correptionis, & propterea frequenter negligitur.

RESOL. LXXII.

Quidam vir timorata conscientia audiuit detractionem de re graui, & non correxit, queritur an a lethali culpa excusari possit? Ex p. 2. tr. 17. & Misc. Rel. 24.

§. 1. **R**espondeo, si illa detraçtio fuit facta solentibus taciturnum, detrahentem non peccasse mortaliter iuxta opinionem probabilem Cordubæ quest. 2. con. 5. & aliorum, quos retuli supra, quia talis infamia non censetur notabilis. Ergo neque peccatur mortaliter audientes; quicquid in contrarium asserat Maldertus in 2. 2. tr. 7. c. 1. dub. 4. & ex parte Lessii lib. 2. cap. 11. dub. 4. num. 21.

2. Dico secundò, etiam si illa detraçtio fuit facta coram pluribus, excusabitur à mortali, per ea quæ mihi ipse consulens interrogatus respondit; nam, vt optime notauit Bonacina tract. de contract. disput. 2. quest. 4. punct. 11. num. 8. audiens detrahentem non debet in dubio præsumere loquentem malum, nisi habeat sufficientes coniecturas in contrarium: de quo cum ipse nesciat, an delictum quod ab alio narratum sit publicum, vel occultum & vtrum iuste, vel iniuste narretur, non peccat non oblitendo narrationem fieri enim potest, vt iuste quis narret, & consequenter alius faciat iniuriam narranti oblitendo, ac si corripere de peccato, quod nescit esse peccatum. Hæc etiam obseruauit Rebellius de obligat. inf. p. 1. lib. 4. quest. 6. num. 8. & Ioan. Maldertus in 2. 2. tr. 7. cap. 1. dub. 15. vbi ait, possessionem famæ dubiam, ne quidem accere à detrahendo, sed non sufficere, vt detrahentem iudices; quia, & ipse in dubio possessione bonæ opinionis exuendus non est. Notent hanc doctrinam confessarij, sic enim tollent multos scrupulos, quibus viri timorati in tali casu angere solent, & etiam propter hanc rationem colligitur sepius, peritas personas excusari à mortali, non oblitendo detrahentibus.

3. Aliæ verò causæ, quæ excusant non oblitendo detractioni, videndæ sunt apud Molinam rom. 5. tract. 4. disp. 34. Azorium part. 3. lib. 13. c. 7. in fin. Aragon. in 2. 2. quest. 63. art. 4. Lessium lib. 2. c. 11. dub. 4. num. 21. Reginaldum rom. 2. lib. 2. c. 4. quest. 8. num. 95. Pet. um à Navarra de restit. lib. 2. cap. 4. num. 337. & 338. Valentiam rom. 3. disp. 5. quest. 17.

quest. 18. par. 4. Saloniim in 2. 2. quest. 7. artic. 4. Socum lib. 5. quest. 10. art. 4. Sayrum in Clavi Regia lib. 1. c. 9. num. 37. & Rebellium Malderum. Bonaciam, vbi supra.

RESOL. LXXIII.

An qui audiuit detrahentem de aliorum criminibus, & non correxit, peccat mortaliter? Et quid in dicto casu, si audiens sit Superior, vel graue damnium ex detractione sequaturum animaduertitur? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Res. 35.

§. 1. R Espondeo vt plurimum minimè; & sic ait Ioan. de la Cruz Dominicanus in direct. consciens. p. 8. quest. 2. art. 2. dub. 5. concl. 1. qui ob timorem, verecundiam, negligentiam, aut amici leuitatem, non resistit detractori, peccat venialiter. Et hanc sententiam docet etiam ex Societate Iesu Adamus Tannerus in 2. 2. D. Thoma. disp. 4. q. 8. dub. 7. num. 151. vbi sic asserit. Est peccatū contra iustitiam, si quis directè iniustitiam, & detractionem approbet, aut, quod deterius, ad eam inducat, contra charitatem, si quis merè negatiuè se habeat, non impediendo, nisi ex officio teneatur, aut detrahentem corrigere, aut famam alterius defendere; nempe quia huius, vel illius superior est. Communiter tamen ex negligentia, timore, aut verecundia non repellere detractionem, solū censetur peccatum veniale, nisi vel audiens superior sit, vel graue damnū ex detractione sequaturum animaduertatur, vel timor ipse adeo peruersus sit, vt propter eum peccare aliquis mortaliter non curet. Ita ille, & hanc sententiam nouissimè docent etiam Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 24. cap. 4. num. 95. & Faber de vestit. in 4. sent. disp. 15. q. 3. disp. 5. c. 3. n. 127. vbi sic asserit. Si omittat corripere detrahentem vel ex timore, vel ex negligentia, vel etiam ex verecundia, est peccatum veniale. Non igitur, vt aliqui serupulosi putant, est semper peccatum mortale audire, & non corripere detrahentem; vide etiam nostram res. * 24. tract. 3. miscellan.

RESOL. LXXIV.

An correctio fraterna sit adhibenda, cum blasphemia est occulta, & non hereticalis? Ex part. 7. tract. 3. Resol. 60.

In indice primo huius tom. 7. lege Apendicem ad hunc tract. 4. vbi inuenies alias paucas quest. mistas, & dispersas per alios tom. tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc tract. 4. de correctione fraterna.

TRACTATUS QUINTUS DE SCANDALO.

RESOLVTO PRIMA

Quotplex sit scandalum? Ex part. 5. tractat. 7. Resolut. 1.

Tom. VII.

§. 1. D E hac materia alibi egimus; nunc adducam, quæ asserit Fagundez in decal. tom. 1. lib. 2. c. 3. n. 33. vbi sic ait. An quando blasphemia est secreta, & speratur fore vt blasphemus secretè correctus emendetur, sit præmittenda fraterna, & Christiana monitio; Partim opinio nem inuenio; nam Azor. tom. 1. Inst. mora. lib. 9. c. 28. q. 8. asserit non esse præmittendam talem correctionem; quia ea denunciatio in blasphemis nõ præcipitur ob criminis emendationem, sed ob criminis punitionem; & sic non tanquam denunciator, sed quasi accusator denunciare quis præcipitur. At melius alij distinguunt inter blasphemiam hereticalem, & non hereticalem; & de hereticali dicunt non esse præmittendam talem correctionem, siue emendatio speretur, siue non speretur, quia speciale est in crimine hæresis, vt ob magnum periculum infectionis aliorum, & difficillimam hereticorum emendationem, statim sit hereticus denunciandus, nulla præmissa fraterna correctione; de non hereticali siue publica, siue secreta sit, dicunt, si non speretur emendatio, statim denunciandum esse, si speretur, prius esse fraternam correctionem præmittendam. Quare prædicta decreta, & edicta, quæ præcipiunt denunciari blasphemos, de quibus egimus n. 32. intelligunt seruato ordine Evangelico, nempe, vt si blasphemia non sit hereticalis, siue publica, siue occulta sit, & speretur emendatio blasphemii, prius admonendus sit; si non speretur, non sit admonendus, sed statim denunciandus. Ita docet Emanuel Rodríguez tom. 1. sum. in 2. edit. c. 3. n. 6. quatenus absolute dicit blasphemiam non esse denunciandam ante correctionem fraternam, dum emendatio speratur, etiamsi præcipiatur sub excommunicatione denunciari; & loquitur de blasphemia non hereticali, & non distinguit inter blasphemiam publicam, vel occultam; docet etiam Sanchez tom. 1. Decal. lib. 2. c. 33. n. 47. in si. Medina lib. 1. Sum. c. 14. §. 2. fol. 77. p. 1. Ludo. Lopez 1. part. instruct. c. 2. in fin. Hæc vique Fagundez.

2. Sed circa præsentem quæst. ne deseras etiam videre Turrian. in 2. 2. tom. 1. disp. 58. dub. 3. Coninch. de act. supernat. disputat. 28. dub. 8. num. 151. Henriquez lib. 11. cap. 24. num. 11. in gloss. lit. C. Villalobos in Sum. tom. 2. tract. 4. difficult. 11. num. 1. & Sanctarel. tract. de blasph. cap. 6. dub. vnic. num. 10. vbi probat Leonem X. in Bulla condere nouum ius, & velle blasphemantem corripendum esse etiamsi non speretur emenda, sed postea cum Azozio obseruat hoc nouum ius, non fuisse vsu receptum, & ideo non procedendum videtur secundum regulas præcepti correctionis fraternæ.

§. 1. R Espondeo scandalum esse duplex: aliud actiuum, aliud passiuum. Scandalum actiuum est, oppositio obstaculi, vel occasionis, vnde oritur ruina spiritualis proximi; quod bene diffinitur à Hieron. super Matth. 18. & habetur in gloss. ibid. Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, & præbens